
BIBLIOTECA UNIV
SEVILLA



DE CRITICIS VET. GR. ET LATINIS,

eorúmque variis apud poetas potissimùm reprehensionibus,

DISSERTATIO HENRICI STEPHANI.

autoris damnati
opus ipsius permissum est.

LECTORI.

Ex criticis monitis criticum tibi contrahe callum,
Ut criticas sapiant callida scripta notas.

RESTITVTIONIS Comment. SERVII in Virg. & magnæ ad eos accessionis Specimen.

Corregido conforme al indice del año de 1632.

del Marmol



PARISIIS
EXCUDEBATUR,
ANNO M. D. LXXXVII.



ORNATISS. VIRO,
PHILIPPO CANAIO,
regio apud consilium Prætorianum consiliario,
HENR. STEPH. S. D.



QVVM in aula regis nostri à nonnullis qui sponsione inter se certauerant, & me Palæmonē suum elegerant, rogatus essem quid propriè sonaret vox critici: non illa quidem qua medici vtuntur quum criticos dies dicunt, sed quæ de iis dicitur qui in poetas inquirunt, eorúmque sunt censores: & cur critici potius quàm critæ vocarentur: item, an Græci soli aliquos qui eo fungerentur officio habuissent: (cæterarum eadem de re quæstiuncularum in præsenti non recordor) respondi illis ex tempore quæ mihi in mentem subitò venerunt, & tamen magno illorū discendi desiderio, sicut & vincendi (quum sponsione, vti dixi, certassent) satisfacere visa sunt. At quum postea non eos solos qui aulicè tantummodo & aulica magis quàm alia vlla docti essent, sed alios etiam quosdam, diligentissimos alioqui rerum ad philologiam pertinentium indagatores, talia ignorare, præsertímque illius vocabuli vim, comperissem: nec verò quenquam esse vidissem qui & hæc & alia quæ de iis doceri magno cum fructu possunt, docuisset: ad

ſcribendam aliquam ſuper hac re diſſertatiunculam, vel in mediis aulæ omnium tumultuoſiſsimæ tumultibus animum appuli. Quo minus erit quod mireris ſiquid in ea ſit quod non lucernã,ſed potius tumultuariam ſcriptionẽ olere tibi videatur. Nã ſi verũ hoc,

Carmina proueniunt animo deducta ſereno,

verum(vt opinor)erit & iſtud, tranquillitatem ſerenitatémque animi,inter alia,ad ferendum de carminibus iudicium requiri. quanto autem magis,quum de iis ipſis qui carminum iudices cenſoréſque ſunt, ferre oportet? At hoc(dicet fortaſſe quiſpiam) nimiũ ſuo iudicio tribuentis eſt. Quid enim aliud hoc eſt quàm iudicis iudicem ſe conſtituere? Reſpondeo,illum qui tam modeſtè de lata à quopiam critico ſententia iudicat,vt interim non ſolùm prouocationẽ ad tertium iudicem relinquat, ſed ne ratam quidem eſſe eíque ſtari velit,niſi ab eo prius confirmata fuerit,non plus ſibi quàm literarij fori leges patiantur, permittere.

Enimuero, quum de ſcribenda tantùm diſſertatiuncula cogitaſſem (ideóque in certa tmemata primam ſcriptionis meæ partem minimè diuiſiſſem)tãdem pro diſſertatiuncula diſſertationem dare neceſſe habui, quum alius ex alio ſermo ad hoc argumentum pertinens oriretur:ſic tamen vt & nonnulla(ſicut lectori faſſus ſum) quæ adiicienda erant,ſciens prudénſque prætermiſerim.

Quod autem dixi,huius argumenti tractationem lectori multum afferre emolumenti poſſe,verum eſſe experientur qui diſſertationem hanc legerint,& criticas quæ in ea proponuntur cenſuras attentè & accuratè expenderint. nullum enim ad formãdum iudicium(quod primas in omni ſcriptione partes tene-

re debet) aptius argumentũ esse existimo: ideóque nõ minus diligenter ei qui laudẽ ex iis quæ scribit reportare cupit, cognoscenda esse τὰ κριτικὰ dixerim, quàm ab eo qui summus imperator euadere nititur, disci debere, autore Xenophonte, τὰ τακτικά. Nõ dubitas porro quin, κριτικὰ quum dico, reprehensiones criticas, & eorum quæ reprehensa sunt emendationes intelligã: ipse verò non dubito quin hîc tibi, sicut & mihi, dictum illud in mentem sit venturum,

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Quòd si vsq; ad nostri seculi criticos expatiata oratio mea esset, dicendũ de illis etiam fuisset qui suas cõiecturales deprauationes in multos locos confidẽter, vel præfidenter potius, intruserunt. Nec tacendũ de iis fuisset qui dum id quod alicui subest loco mendũ nõ subolfaciunt, ad violẽtas expositiones confugiũt. Qua de re in multis meorũ Schediasmatum questus sum locis: ac de illis nominatim qui Horatium ita mẽtis appellatione vsum volunt vt tum tẽporis mẽte caruisse videri possit: hoc in loco, *-qui nõ moderabitur iræ,*

Infectum volet esse dolor quod suaserit & mens.

Ego certè non quomodo hîc exponenda sit ista vox, sed quomodo corrigendus sit hic locus (quẽ tamen nemo vnquã, quòd sciam, mendosum suspicatus est) quærendum puto: atque interim scribendum esse *exmens* pro *& mens* contẽdo: quum Horatio in *exmens* imitari Græcum ἔκφρον, vt vulgus in *amẽs* imitabatur ἄφρον, placuisse dico.

Hæc tu, vir ornatissime, tanquam additamentum aliquod ad istam de criticis dissertationem à me tibi dicatam, accipe. Quod munus qui tibi conuenire nõ existimabit, is te libris qui exercendi acris tui iudicij materiã suppeditãt, dignissimũ esse ignorabit. Vale.

re debet) aptius argumentũ esse existimo: ideóque nõ minus diligenter ei qui laudẽ ex iis quæ scribit reportare cupit, cognoscenda esse τὰ κριτικὰ dixerim, quàm ab eo qui summus imperator euadere nititur, dici debere, autore Xenophonte, τὰ τακτικά. Nõ dubitas porro quin, κριτικὰ quum dico, reprehensiones criticas, & eorum quæ reprehensa sunt emendationes intelligã: ipse verò non dubito quin hîc tibi, sicut & mihi, dictum illud in mentem sit venturum,

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Quòd si vsque ad nostri seculi criticos expatiata oratio mea esset, dicendũ de illis etiam fuisset qui suas cõiecturales deprauationes in multos locos confidẽter, vel præfidenter potius, intruserunt. Nec tacendũ de iis fuisset qui dum id quod alicui subest loco mendũ nõ subolfaciunt, ad violẽtas expositiones confugiunt. Qua de re in multis meorũ Schediasmatum questus sum locis: ac de illis nominatim qui Horatium ita mẽtis appellatione vsum volunt vt tum tẽporis mẽte caruisse videri possit: hoc in loco, — *qui nõ moderabitur iræ,*

Infectum volet esse dolor quod suaserit & mens.

Ego certè non quomodo hîc exponenda sit illa vox, sed quomodo corrigendus sit hic locus (quẽ tamen nemo vnquã, quod sciam, mendosum suspicatus est) quærendum puto: atque interim scribendum esse *amens* pro *& mens* concedo: quum Horatio in *amens* imitari Græcum ἄφρων, vt vulgus in *amens* imitabatur ἄφρων, placuisse dico.

Hæc tu, vir ornatissime, tanquam additamentum aliquod ad istam de criticis dissertationem a me tibi dicatam accipe. Quod munus qui tibi conuenire nõ existimabit, is te libris qui exercendi acris tui iudicij materiã suppeditãt, dignissimũ esse ignorabit. Vale.



HENRICVS STEPHANVS LECTORI.

MVLTIS in ore sunt Critici, quibus ne hoc quidem ipsum in mentem venit, quinam tam honorifico titulo digni sint, aut quinam olim eum vel meriti sint, vel mereri debuerint. Sanè, quum onomastica sua consulunt, hoc tãtùm ab illis docentur, Criticos esse poetarum iudices. Itáne verò Græcis Critici non aliud quàm Critæ sonat? Eadem certè opera mihi persuaserint nihil differre ποιητικοὺς ab iis qui ποιηταὶ vocantur, nihil στρατηγικοὺς ab iis qui στρατηγοὶ appellantur. Sed qui huius mei de Criticis commentarii principium saltem legerint, quantum inter illa sicut inter hæc, sit discriminis, apertissimè, vt spero, cognoscent: & hoc cognitum sic animo infigent (nisi mea me spes fallit) vt illi perpetuò hærere possit. Quòd si vlterius in huius libri lectione pergere non grauabuntur, etiam quæ illorum partes essent, quantum sibi iuris eorum nonnulli in aliorum scripta, præsertímque poetica, arrogarent, sunt intellecturi. Iam verò, si eum perlegere non pigebit, fore confido vt eos quantum profecerint non pœniteat. Quid? (dicet aliquis) an legendo multas multorum locorum criticas reprehensiones, Critici euadere poterunt? Non equidem hoc crediderim: sed hoc saltem fore, vt perspectæ, vt introspectæ hæ κριτικαὶ reprehensiones (cur enim τὰς τῶν κριτικῶν ita vocare non liceat?) eorum κρίσιν velut forment, & de nullo cuiusquam autoris loco ἀκρίτως pronuntiare posthac permittant. Quemadmodum enim quotidie in iudiciis aliquis accusator non solùm iure sed & æquitate niti videtur, tãtisper dũ defensor silet: simulatque autẽ hic respõdere cœpit iis quæ obiecta sunt, calumniator dicitur qui antea vocatus fuit accusator: ita certè Criticos

nonnunquam videri scio meritò reprehendisse quosdam poetarum aut aliorum scriptorum locos, quorum tamen vbi examinatur reprehensio, iniqua planè comperitur. cuius rei nonnulla tibi exempla Dissertatio ista suppeditabit. Sed multas interim iustißimas reprehensiones inter cæteras inuenies.

Quòd si & reliqua ad hoc argumentum spectantia persequi, atque id plenè tractare mihi licuißet, maior in vtranque partem exemplorum numerus tibi suppeteret. Nam Græcorum Criticorum, Aristarchi, Aristophanis, Cratetis, Zenodoti quasdam partim διορθώσεις, *partim* παραδιορθώσεις: *& quædam eorundem (præsertim verò Aristarchi) partim* τολμήματα *simpliciter, partim* παρατολμήματα *tibi proposuißem, in quibus id quod dico animaduertere potuißes.*

Verùm nec istud dißimulare volo, dißerendum etiam fuiße (vt plena & numeris omnibus absoluta hæc Dißertatio eßet) de amicis Criticis, quibus sua recitare scripta Latini præsertim solebant. In quo amicorum & familiarium Criticorum numero (ita enim eos amicos voco qui Criticorum officio fungebantur, etiamsi nihil minus quàm hanc, vt ita dicam, artem profiterentur) Horatianus ille Quintilius meritò ponetur, & ita quidem vt primum in ea locum teneat. Ille inquam Quintilius, de quo ita Horatius,

Quintilio siquid recitares, corrige (sodes)
Hoc, aiebat, & hoc. melius te poße negares,
Bis térque expertum frustra, delere iubebat,
Et malè tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quàm vertere malles,
Nullum vltrà verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine riuali téque & tua solus amares.

Sed quum rari sint nostro seculo hi Quintilij, rariores sunt quos sua φιλαυτία *Quintilijs morigeros eße patiatur. Qua de re alius erit dicendi locus. Tu interim vale.*



HENRICI STEPHANI
DE CRITICIS ET DE CRITICA FACVLTATE DISSERTATIO.

NONNVLLA sunt magni momẽti, & magni (vt ita dicam) ponderis vocabula, si quidem eorum origo & primigenia natiuáque significatio consideretur: quæ alioqui, tanquam minimè talia, nullo examine dignamur: níhiluqe aliud mens nostra sub illis sibi repræsentat quàm quod vulgaris vsus consuetudine declarant. At est tamen hic vsus eiusmodi, vt, quantumuis sit antiquus, abusus aut saltem licentiosior vocari vsus possit. Hoc adeò in quibusdam earum potissimum contingit vocum quibus Latini è Græco sermone sumptis suum locupletauerunt. Ac, si vel maximè in nomine CRITICVS contingere id dixero, quod verum est loquutus (vt opinor) fuero. Quotus enim quisque est cui, quum hoc vocabulum audit, vnà cum eo qui illi datur significatu is etiam quem à sua origine habet (si originalem dicere non licet) in mentem veniat? Quomodo autem ea verbi cuiuspiam significatio alicui in mentem veniat, qui eam nec scit, nec vnquam sciuit? Quî verò sciuisse vel scire possit quod neque doctus antea fuerit, neque nunc doceatur? Consulantui enm vulgaria onomastica, consulantur auto-

A.



rum enarratores: ex iis non aliud discetur, quàm Criticum dici eum grammaticum qui poematum est iudex, siue, qui de poematis iudicat. Atqui (vt omittam alia duo quæ hac in expositione peccantur, & quòd critici officium malè ad grammaticum restringitur, & quòd male critici iurisdictio pomœriis poematum coercetur) si κριτικὸς aliud nihil est quàm κριτὴς, (id est iudex) certè nec ποιητικὸς aliud erit quàm ποιητὴς, nec εὑρετικὸς quàm εὑρετής: nec στρατηγικὸς, quàm στρατηγός: in aliis denique infinitis quæ eiusdem formæ sunt, δύναμις minimè ἀπὸ τῆς πράξεως distinguetur: id est, ipsa agendi aliquid facultas ac peritia & ipsa actio confundentur. Hoc tamen minimè nouum mihi fuerit: quippe qui animaduerterim, nonnullos interpretes cùm in aliis quibusdã vocabulis hanc κατάληξιν habentibus ita lapsos esse, tum verò in ποιητικός. Nam ποιητικὸς verterunt poeta: quum tamen possit quis esse poeta, aut saltem poetæ nomen habere, & multa quæ sunt artis poeticę præstare, qui non sit ποιητικός: & vicissim. Istud enim de eo dicitur, qui, etiamsi poeticum nihil scribat, tamen quandam à natura inclinationem & dexteritatem ingenij ad poesin, siue aliqua poetices velut semina habet. Ac, quoniam duorum recordor epigrammatum, quę olim super isto harum vocum lusi discrimine, de duobus fratribus, quorum vnus erat poeta nomine, alter verè ποιητικὸς, licet poeta non vocaretur, quòd artem exercere poeticam nollet: ea hîc aptam habitura sedem putaui. Prius igitur est hoc,

Es tu ποιητὴς, ποιητικὸς est tibi frater:
Nomine ποιητὴς, frater at est δυνάμει.
O vtinam vel tu pariter ποιητικὸς esses,
Aut certè ille tuus frater vtrumque foret.

Cui ſiquidem δύναμις ποιητικὴ, Arlice, nulla eſt,
Nónne vltra δυνατὸν, irritus éſtque labor?

At poſterius eſt iſtud: quod tetraſtichon eſt tantummodo, cui præcedens hexaſtichon lucem affert,

Audis ποιητὴς, frater ποιητικὸς audit:
Audis quod minimè es, audit at ille quod eſt.
Scilicet inuita ſcribis tu Pallade verſus,
Scriberet at verſus ille libente dea.

Vſus autem ſum verbo Audire, vt Greci vtuntur interdum ſuo ἀκούειν Quam libertatem vſurpauit Horatius, quum dixit, *Tu rectè viuis ſi curas eſſe quod audis.* Item, *Subtilis veterum iudex & callidus audis.* Id eſt, diceris. ſiue appellaris.

Sic certè & de κριτὴς ac κριτικὸς multa ludi poſſent: (ſi tamen ἐν τοῖς σπουδῆς ἀξίοις liceret παίζειν, ἀντὶ τοῦ σπουδάζειν) quinetiam de στρατηγὸς & στρατηγικός: quæ non minori quàm ſuperiora errore confunderentur, στρατηγικὸν, eodem quo & στρατηγὸν modo, imperatorem interpretando: quum, ſicut multi ſunt aut ſaltem vocantur POETAE, qui minimè ſunt POETIKOI (quod prius eſſe debuerant) ita, multi ſint imperatores, id eſt duces exercitus, qui STRATEGOI quidem ſunt, at non etiam STRATEGIKOI: quod illos prius eſſe oportebat. Vnde fit vt ſicut illi inuita Minerua verſus pangant, ita hi inuito Marte bella gerant. Vtinam verò nulli forent POETAE, niſi qui & POETIKOI eſſent: nulli STRATEGOI, niſi qui & STRATEGIKOI: nulli denique vlla de re CRITAE forent, niſi qui & CRITIKOI eſſent. Atque vtinam (vt immodicus voti non ſim) meum de his ſaltem votum exaudiretur. Nam vel vna hæc res magnam nobis aurei ſeculi partem reuocaret: præſertim verò ſi & κριτικοὶ, & tamen haudquaquam λη-

πτικοὶ essent. Hodie enim multi qualibet de re sunt κριταὶ, qui non sunt κριτικοί: & ex iis quibus, singulari Dei beneficio, contigit vt vtrumque sint, plerosque inuenias in quibus τὸ ληπτικὸν siue τὸ λημματικὸν corrumpit τὸ κριτικόν.

Quidni autem, quamuis properem, sex meos senarios tibi, lector, hîc proponam? quum ad hunc locum pertineant? quum huic loco quadrent? Alioqui sum ego is qui meos versus (qualescunque sunt) libenter intra penetralia Vestæ contineam. Quod nisi ita esset, iampridem iis ipsis de quibus instituta hæc dissertatio est criticis nouam materiam præbuissem, simúlque Græcæ linguæ studiosis ἐχαρισάμην ἂν τοῦτο, vel potius προσεχαρισάμην. Quemadmodum enim bellatore equo ad ea vti quæ cuiuslibet equi ministeria esse possunt, eo est abuti: ita ego, quum semper iudicauerim, abusurum me propemodum Græca lingua, si ad alia eam adhiberem quàm quæ Latinæ & facultates & facultatem superant: libens, non solùm in epigrammatis iis quæ tota Græca sunt, sed etiam in Latinis quibusdam, ea Græco sermone eleganter & festiuè dixi, (dicere quidem certè conatus sum) quæ in Latino nihil elegantiæ, nihil festiuitatis habuissent. Ex eo autem numero aliquot hæc Dissertatio habebit: sed istud potissimum, quanto sint Græcorum maiores quàm Latinorum diuitiæ (si tamen paupertas aliquas habere diuitias dici potest) testatur. Nam (vt taceam de verbo Στρατηγιᾷν: (quo vno verbo significatur, Imperator seu dux exercitus esse cupio, Imperatorio fungi munere cupio: eóque, si bene memini, & Xenophon vtitur) vim certè alterius vocabuli Στρατηγικὸς, vix Latinis verbis repræsentare quisquã potest. Sed audi tandẽ, vel potius lege:

Στρατηγικὸς non es, στρατηγιᾷς tamen:
Pater στρατηγικὸς negat στρατηγιᾷν.
Ergo se vterque quî στρατηγὸν obtulit?
Inuito vterque Marte ne bellum gerat,
Τὸ στρατηγιᾷν tu cedito tuo patri,
Patérve cedat τὸ στρατηγικὸν tibi.

Sed de hoc στρατηγικὸς, simúlque de altero illo ποιητικὸς, quæ, quòd ὁμοιοσχήμονα sint, in exemplum attuli, plura dicere, huius loci non est: verùm quæ de natiua vocabuli ΚΡΙΤΙΚΟΣ significatione disseram, illorum etiam naturam patefacient.

Quicunque igitur de aliorum scriptis vult ἀψευδῶς κρίνειν, id est, non mendax iudicium ferre, qui de illis δίκαιος κριτὴς, id est, iustus iudex, esse cupit, eum natura κριτικὸν fecerit oportet. Quem autem natura κριτικὸν fecisse dici potest? Eum profectò quem præ aliis iudicandi peritum reddidit, & tanquam ad suscipiendas iudicis partes præparauit. Quémnam verò hac instruxisse peritia dicẽda est? Cui sagacitatem quandam & solertiam, seu sagacem quandam & solertem prudentiam indidit, qua illa quæ talia vel talia sunt, ab iis quæ talia vel talia esse videntur, scit διακρίνειν, id est, discernere, siue diiudicare. Primum enim verbi κρίνειν vsum esse hunc puto, quo pro discernere ponitur (quod alioqui composito διακρίνειν vsitatiùs in soluta præsertim oratione dicitur) & iudicandi significatum ex eo illi datum esse, quòd (vt dixi) qui iudicat, discernat ea quæ verè, quæ ὄντως & αὐτόχρημα talia vel talia sunt, ab iis quæ in speciem tantummodo talia vel talia esse dici possunt. Nam vt pro tribunali, id quod primo aspectu iustum videtur, ab eo quod reuera iustum est, discernere oportet: sic etiam ab eo qui alienorum scriptorum est κριτι-

κῶς κριτὴς, ea quæ prima fronte emendatè & rectè dicta videri possunt, ab iis quę verè talia sunt distingui oportet. Atque, vt quo quis magis oculorum acumine valet, eo facilius lanam quæ colorem mentitur, ab ea quæ vero miniméque adulterino tincta colore est, dignoscit, ita, quo quis est κριτικώτερος, eo minus in iis quæ dixi hæret.

VERVM, (vt tandem intra suos limites mea se sistat oratio: id est, de iis dumtaxat criticis disserat, de quibus institutus hic sermo est) nequaquam mihi dubium est quin olim hoc de aliorum scriptis iudicandi munus non alij suscipere soliti fuerint quàm quibus natura hanc κριτικὴν δύναμιν ingenuerat: vel potius, quibus ars & exercitatio principia huius κριτικῆς δυνάμεως à natura ingenita promouerat: sed progressu temporis ij etiam qui minimè critici erant, id est, facultate critica prædití, fungi tamen criticorum officio voluerint. Vnde nihil mirum est si ἀκρισίας aut κακοκρισίας tales κριτικοὶ damnati fuerunt. Hac autem nostra tempestate quàm multi hac damnatione digni sunt? Quod enim seculum vt plures, ita arrogantiores huius generis censores tulit? Quamobrem tetrastichon hoc, quo vnum eorum petii, in multos distringi potest.

Scriptorum κριτὴν te iactas esse meorum.
Horum vt sis κριτὴς, κριτικὸς esto prius.
Κριτικὸς esse potes, tibi si κριτήριον haud est?
At, non desit vt hoc, mens prius esto tibi.

Vera certè hæc gradatio est. nam vt quis aliqua de re idoneus sit κριτὴς, id est, idoneus iudex, eum κριτικὸν prius esse, id est iudicandi facultate valere, necesse est. At κριτικὸς vt sit quispiam, habeat oportet id quod κριτήριον dicitur, éstque velut iudicandi instrumentum. Quomodo

autem iudicandi instrumentum illi esse dicetur qui mente carere dici potest? aut quid mentis in iudicio eius quæremus in quo eam desideramus? Ideo rectè de Doleti carminibus,

Carmina quòd sensu careant mirare Doleti,
Quando qui scripsit carmina, mente caret?

Sed quemadmodum mente carere dicuntur non tantùm qui ea prorsus destituti sunt, verumetiam quibus parum est mentis: ita κριτικὸν esse negamus (præsertímque vbi de eo agitur qui κριτικοῦ munere sit dignus) non eum dumtaxat cui nulla prorsus est vis κριτικὴ, sed eum quoque in quo hæc perexigua est. Neque verò mirum hoc videri debet, quum ad id etiam iudicium quod ab aliquo sensu corporis ferendum est, ὁ εὐαίσθητος tantùm siue αἰσθητικώτατος, non etiam is in quo qualiscunque sit δύναμις αἰσθητικὴ, aduocetur. Sic quum de aliquo sono, de modulatione aliqua pronuntiandum est, hoc ante omnia requiritur, vt non δυσήκοος, sed εὐήκοος, non βαρυήκοος sed ὀξυήκοος sit iudex. Primum igitur hoc fuisse credamus in illo Pylæmenis auditu quem Synesius τὴν κριτικωτάτην τῆς ἀκοῆς appellat. Postquam enim dixit Pylæmeni, se misisse λόγον Ἀττικουργῆ, τῆς ἀκριβοῦς ἐργασίας, addit, de eodem in tertia persona loquens, ὃν ἂν μὲν ἐπαινέσῃ Πυλαιμένης, ἡ κριτικωτάτη τῆς ἀκοῆς, αὐτὸ τοῦτο τῇ διαδοχῇ τοῦ χρόνου συνέστησεν. Sed interpres, quum hæc verba, ἡ κριτικωτάτη τῆς ἀκοῆς, vertit, *exactissimi homo iudicij*, non satis exacto ipse iudicio hanc interpretationem illis verbis dedit. Nam hæc laus, *Exactissimo homo iudicio*, latè patet, neque magis ad eum pertinet qui auditu quàm qui alio sensu valet: aut etiam ad eum cui sua iudicatrix seu iudicatoria facultas (nisi iudicandi facultatem dicere potius debemus) alibi quàm in corporeo quopiam sensu

posita est: quum ille tamen non dicat ὁ κριτικώτατος τῶν ἀνθρώπων, sed ἡ κριτικωτάτη τῶν ἀκοῶν. id est, *Homo exactissimo aurium iudicio præditus*. vel, *acerrimo*, vel, *acutissimo*, vel *subtilissimo*, vel *sincerissimo*. Quinetiam iungi hæc duo possunt, *sincerissimo & subtilissimo*, vt Cicero sincerum & subtile iudicium dixit. Nec malè, *valde intelligenti aurium iudicio*, (si *intelligentissimo* non placeat) dicatur. Iam verò & qui *Optimo iudicio* verterit, reprehendi non possit: quum huius nominis significatio superiorum laudum quamlibet complectatur. Cæterùm non ita conuenisset elegantiæ Synesianæ ὁ πάντων ἀνθρώπων κριτικωτάτην ἀκοὴν ἔχων, vel ὁ κριτικώτατος τὴν ἀκοὴν, vt illi conuenit, ἡ κριτικωτάτη τῶν ἀκοῶν. Id est, (si verbum verbo reddatur) *Auditus omnium maximè facultate iudicandi præditus*. vel, *iudicandi solertia valens*. Quòd si ex aliquo recentiorum vel potius recentissimorum scriptorum mutuari vocabulum liceret, totidem verbis, *Auditus omnium iudiciosissimus* dicerem.

Sed nescio quomodo circa huius vocis κριτικωτάτη interpretationem nimis fortasse κριτικῶς me gessi: id est, criticorum ἀκρίβειαν & λεπτολογίαν nimis fortasse sum imitatus. Antequam tamen illi Synesij loco planè valedicam, hoc addo, testari Ciceronem libro De natura deorum secundo, esse aurium admirabile quoddam artificiosúmque iudicium, quo iudicatur, & in vocis & in tibiarum neruorúmque cantibus, varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera permulta: canorum, fuscum: læue, asperum: graue, acutum: flexibile, durum: quæ hominum solùm auribus iudicantur. Hęc autem dicit postquam humani etiam visus præstantiam descripsit: ideóque particula *item* vtitur. *Aurium item* (inquit) *est admirabile quoddam artificiosúmque iudicium:*

cium: quo iudic. &c.

Cæterùm, quod dixi, ad id etiam iudicium quod ab aliquo ſenſu corporis ferendum eſt, non contentos eſſe nos homine cui qualiſcunque ſit δύναμις αἰσθητικὴ, ſed τὸν εὐαίσθητον tantùm aut etiam τὸν αἰσθητικώτατον aduocare: id non abs re à nobis fieri, non ſolùm verbum παραισθάνεσθαι, quod ad totum genus refertur, ſed & duo iſta, παρορᾶν & παρακούειν (in quibus, à genere ad ſpecies venimus) apertè teſtantur. Hæc enim quoties audimus, recordemur oportet, duos qui potiſſimum commendari poſſunt in nobis ſenſus, viſum & auditum, falli & ipſos interdum. Dico autem, duos hoſce ſenſus eſſe magis quàm cæteros in nobis commendabiles, quòd illos præ duobus hiſce habeamus imbecillos (vt & Cicero alicubi, ſi benè memini, fatetur) & odoratu ſaltem non à canibus tantùm, ſed ab aliis etiam pleriſque animalibus ſuperemur. Enimuero quamuis non pauciores fortaſſe παρορῶσι quàm παρακούουσι, plus tamen fidei oculis quàm auribus habendum eſſe quidam ex veteribus etiam cenſuerunt. Ac pro illis facere Herodoteum illud dictum creditur (cuius vti teſtimonio plerique omnes ſolent) ὦτα γὰρ τυγχάνει ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν. At ego in ea ſententia non ſum. Siquidem ὦτα ἀπιστότερα non pro iis auribus accipio quibus minus fides haberi debet, ſed pro iis quæ minus fidem habent, quæ minus credulæ ſunt. Ideóque non aſſentior iis qui interpretantur, *Aures hominibus minus quàm oculi ſunt fideles.* Hunc enim illorum verborum ſenſum non eſſe, vel ex iis quæ proximè præcedunt apud Herodotum verbis liquet: ac potius comparationem illam eodem pertinere quò hæc Plautina, *Pluris oculatus teſtis vnus quàm auriti decem.* Perinde enim eſt ac ſi apud Herodo-

tum diceret Gygi Candaules, Scio enim fieri non poſſe vt quis ita credat illud quod ex alio audiuit, quantumlibet fide digno, vt credit id cuius ſuoſmet & ipſe oculos teſtes habet. Quinetiam quum dicit Horatius,

Segnius irritant animos dimiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator:

non ita ſenſum cum ſenſu confert, vt velit nos minus fidei noſtris auribus quàm oculis habere: tanquam oculorum, in ſua cernendi actione, quàm aurium in ſua audiendi, certius ſit iudicium ſeu teſtimonium: ſed tantùm comparat ea quæ quis ſpectauit ipſemet, cum iis de quibus aures eius alii narranti fidem habent, qui ſpectatorem ſe fuiſſe dicit. Et quoniam quę alij nobis narrant, ea nobis, id eſt noſtris auribus, velut tradunt (vnde πατροπαράδοτα, quaſi à patribus ſeu maioribus tradita, ea vocantur quorum notitiam ex eorum commemoratione habemus) contrà, ſpectatorem, ſibi ipſummet tradere ait illa quibus ſuos ipſe oculos teſtes adhibet. Alioqui non minus quiſpiam, quæ aurium quàm quæ oculorum ſenſu percipit & vſurpat, ea ſibi tradere dici poteſt. Neque verò minus aliquis auribus ſuis fidem habebit de clamore quem quis, dum occideretur, emiſerit, quàm ſuis oculis de ictu quo petitus fuerit. Sed nec ſegnius fortaſſe irritabitur (vt Horatianis verbis vtar) eius animus audiendo illum clamorem, quàm ictum hunc videndo. Ab Horatio autem ſenſum cum ſenſu, eo quo dixi modo non conferri, ſed tantummodo comparare ea quę ipſi ſpectauimus cum iis de quibus fidem aliis narrantibus habemus, qui ſpectatores fuerunt, oſtendunt quæ ſequuntur:

non tamen intus

Digna geri promes in scenam: multáque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.

Non aliò denique locus ille Horatianus respicit quàm quò iste tragici, τῶν πραχθέντων τὰ μὲν ἄλλ' ἄπεστι. ἡ γὰρ ὄψις οὐ πάρα. Cum quibus conueniunt hæc Ciceronis, qui, tanquam expertus ea de re loquens, scribit Torquato, *Nam etsi, quocunque in loco quisque est, idem est ei sensus & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum & suarum, tamen oculi augent dolorem, qui ea quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere à miseriis cogitationem sinunt.* Idem eidem in alia epistola, *Equidem nos, quòd Romæ sumus, miserrimum esse duco, non eò solùm quòd in omnibus malis acerbius est videre quàm audire.* &c. Iam verò quum in illo Horatii loco sensuum inter se comparatio (vti dixi) non fiat, malè illud *fidelibus* (vbi dicit, *Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus*) ita intelligitur dictum de oculis, quasi sua in actione, siue suo in munere, fide digniores sint quàm aures, & perpetuum sit ac velut naturale eorum hoc epithetum. Quò igitur poetam respicere dicemus? nimirum ad oculos minimè παρορῶντας. hi enim, fideles dici non possunt: nihilo certè magis quàm aures, quum παρακούουσι. Nec verò Cicero de duobus illis primariis sensibus ita loquitur, vt vnum alteri præferre videri possit. Postquam enim visus humani excellentiam descripsit, ad auditum transiens (vt antea docui) aurium item admirabile quoddam artificiosúmque iudicium esse ait. Dixerat autem, antequam de visu verba faceret, *Omnísque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum.* Quibus non est cur repugnantia loquutus videar, vbi dixi nos odoratu saltem non à canibus tantùm sed ab aliis etiam plerisque animalibus superari. Nam hoc quoque Ciceronē fal-

ſurum fuiſſe puto (ſicut & viſus acumine nos ab aquila & quibuſdam aliis animãtibus vinci) ſed additurum, ſe ideò ſcripſiſſe, omnem ſenſum hominum multo antecellere ſenſibus beſtiarum, quòd homines ſuis ſenſibus ad res multo maiores & præſtantiores quàm ſuis beſtiæ, vtantur.

Atque, vt vnde diuertit, eò reuertatur oratio, illud etiam *fidelibus* ab Horatio adiectum, ſi eo quo dixi modo intelligatur (vt certè intelligi debet) id confirmat quod dixi, videndum eſſe vt αἰσθητικὸς, ſiue εὐαίσθητος, ſit ille qui περὶ τῶν αἰσθητῶν iudex eligitur. Neque tamen dubium eſt quin ἀκρίβεια τοῦ αἰσθητηρίου tum præſertim neceſſaria ſit iudici, quum ei de duobus quæ inter ſe comparantur, ferendum iudicium eſt: vt ſi eius auribus de duobus acutis ſonis, vter acutior: de duobus grauibus, vter grauior ſit: vel ſi oculis, de duabus veſtibus eodem colore ſplendentibus iudicandum ſit vtra ſplẽdidior: ſi de duobus ſaporibus, vter dulcior, vter amarior, palato ſit pronuntiandum. Alioqui, ſi ſimpliciter auditum, ex duobus ſonis, vter acutus, vter grauis, eodémque cæteros ſenſus modo de cæteris quæ ſub eos cadunt iudicare oporteat, hoc cuiuſlibet eſſe qui ſenſu præditus ſit, quidam philoſophi cenſuerunt: ſed alij, vt integri incorruptíque ſenſus eſſent, addiderunt. *Ordiamur à ſenſibus* (inquit Lucullus apud Ciceronem) *quorum ita clara iudicia & certa ſunt, vt ſi optio naturæ noſtræ detur, & ab ea deus aliquis requirat contentáne ſit ſuis integris incorruptíſque ſenſibus, an poſtulet melius aliquid: non videam quid quærat amplius. Neque verò hoc loco exſpectandum eſt dum de remo inflexo aut de collo columbæ reſpondeam. non enim is ſum qui, quidquid videtur, tale*

dicam esse quale videatur. Et statim pòst, non Integros & incorruptos, sed sanos dicit: quod duobus illis respondet. Verùm addit Valentes, quo vegetos, aut etiam ἀκμάζοντας (quod aliquanto plus esse videtur) intelligo: alioqui planè synonymo vsus esse dicendus foret. *Meo autem iudicio* (inquit) *ita est maxima in sensibus veritas, si & sani sunt & valentes, & omnia remouentur quæ obstant & impediunt. Itaque & lumen mutari sæpe volumus, & situs earum rerum quas intuemur: & interualla aut contrahimus aut diducimus.* &c. Sed in calce libri De finibus primi, rursum illa duo priora sensibus tribuuntur: *Si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat. id est, incorruptis atque integris testibus.* Sed alicubi idem Cicero Zenonem sensibus tribuisse fidem dicit: non addens, integris incorruptísque: siue, sanis & valentibus. Quidam tamen in alio eius loco dicit, Epicurum, in eo quod ait, sensibus ipsis iudicari, voluptatem bonum esse, dolorem, malum: plus tribuere sensibus quàm nobis leges permittant. Hoc autem iuxta illorum sententiam dici puto, qui iudicium veritatis esse in sensibus negabāt, quamuis id à sensibus oriretur: qui sensus omnes, hebetes & tardos esse arbitrabantur, nec percipere vllo modo res eas quæ ipsis subiectę viderentur: quæ essent ita paruæ vt sub sensum cadere non possent: aut ita mobiles & concitatæ, vt nihil vnquam vnum esset cōstans: ne idem quidem: quia continenter laberentur & fluerent omnia. Affero autem receptā vulgo lectionē, quum *& constans* quidam legāt. Et in Academ. IIII, aduersus Lucullum dicitur, *Quid ergo est quod percipi possit, si ne sensus quidē vera nuntiant?* Et paucissimis interiectis illius infracti remi (id est, qui fractus videtur) & colli

columbæ fit mentio: *Tu autem te negas infracto remo neque columbæ collo commoueri. Primùm cur? nam & in remo sentio non esse id quod videatur: & in columba plures videri colores, nec esse plus vno.* Quo etiam in loco vulgatam lectionem sequor, quamuis illa negationis geminatio quę est in vocula *neque*, præcedente verbo *negas*, suspecta sit. Eodem porrò pertinent quæ in alio eiusdem loco legimus, videri nauigantibus moueri ea quæ stant. Nam & hoc, vnum est ex argumentis quibus vtuntur qui ostendere conantur ita falli sensus, vt iis fides habenda non sit.

SED ENIM quum auditus solus sit ex sensibus cuius ἀκρίβεια in iis de quibus nunc agimus criticis requiratur, de hoc tantùm pergam verba facere. Dico igitur non paruam critico laudem dari quum iisdem quibus Pylæmenes à Synesio laudatur verbis, & ἡ κριτικωτάτη τῇ ἀκοῇ vocatur. Tunc enim non solùm criterio sibi necessario instructus dici potest, sed etiam κριτήριον habere quod sit κριτικώτατον. Nam Criteria (quasi quis dicat Iudicatoria, id est iudicandi instrumenta) de iis quidem quæ sub sensuum aliquem cadunt, sunt ea quæ & αἰσθητήρια nominantur (vt si à sentiendo Sensitoria deduceremus) at cæterorum criterium est intellectus. Quum enim ipsa κριτηρίου natura tribus modis cōsideretur, ὑφ' οὗ, & δι' οὗ, & καθ' ὅ: id est, A quo, Per quod, Secundū quod: sub illo δι' οὗ, id est Per quod, haud aliud quàm sensum vel intellectum proponere nobis possumus. Nam vel sensus vel intellectus est id δι' οὗ κρίνομεν. id est, per quod iudicamus. Quædam tamen sunt vbi licet sensus tantùm criterium requiri videatur, tamen & intellectus suum conferens, multum adiuuat: adeo vt dici fortasse verbis Horatianis possit res vna opem

alterius poſcere, & amicè coniurare. Exempli gratia, vbi ſcribit idem poeta,

Non quiuis videt immodulata poemata iudex,

an iudici hæc immodulata poemata animaduerſuro ſufficere quandam ἀκριβῆ ἀκοὴν exiſtimamus? & an κριτικὴν eam, quamuis nihil intellectus conferat, appellare, an teretes illi aures eſſe dicere poſſumus? Atque idem fortaſſis & de iſto eiuſdem loco dici poteſt,

Legitimúmque ſonum digitis callemus & aure.

Si enim neque huc neque illuc ſuám ſymbolam conferret intellectus, ceſſaret profectò in rebus eiuſmodi omnis diſcordia inter iudicium intelligentium (vt Cicero vocat) & ipſius vulgi: quod Horatius interdum rectum videre, interdum peccare dicit.

Sed intellectus eo rectius hoc fungi officio poteſt, quo magis εὐφυΐα quædam, vel ἐπιστήμη, ſiue τέχνη, aut ſaltem ἐμπειρία (etiamſi magis ἄτεχνος ſit quàm τεχνικὴ) adminiculatur. Horum igitur aliquid habuerunt aut habere certè debuerunt ij qui olim critici appellati fuerunt. Alioqui enim quomodo eorum nonnulli de iis etiam ſcriptis ſiue de eo ſcriptorum genere κρίνειν auſi fuiſſent, quorum artifices ipſi eſſe non poterant? de poematis, quum tamen poetę non eſſent? de hiſtoricorum ſcriptis, quum in ſcribenda hiſtoria ſe non exercuiſſent? de orationibus, quum nullam vnquam cauſam oraſſent? Nec dubium eſt quin εὐφυΐα potiſſimum fungeretur in illis *vice cotis, acutum Reddere quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi.* Quod Horatij dictum ab Iſocrate manaſſe creditur, qui interrogatus cur, quum alii ab eo artem dicendi docerentur, ipſe taceret, reſpondit, καὶ αἱ ἀκόναι, αὐταὶ μὲν ταμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον, ὀξέα καὶ τμητικὸν ποιοῦσι. At Dionyſius Halicarnaſſeus aliud

exemplum affert, quod, vbi ad illũ deuenero, referam.

Quemadmodum autem nemini dubium esse debet quin ex modestia profectum sit aliquod eiusmodi responsum, ad multos, ac præcipuè ad Horatiũ, quod attinet: (neque enim, nisi ποιητικὸς fuisset, & quandam ποιητικὴν δύναμιν saltem in seipso sensisset, munus illud suscepturus erat) ita persuasum habeo (quod & antea attigi) audaciam adeò creuisse paulatim, vt nonnulli etiam quos nulla critica facultate natura instruxisset, criticorum nihilominus nomen non ambirent modò, sed acciperent, & partes quoque illorum susciperent. Sed quàm periculosum esset illorum iudicium sequi, vel ex eo patet, quòd ne ipsi quidem Horatio hac in re fidem habere nos posse ostenderim, quin Plautum è manibus deponamus: siue inuidia siue aliud quidpiam eius hîc iudicium deprauarit. At ecce tamen nostro seculo, tanquam Horatij manibus gratificari volentes nonnulli, quæ scripta magis quàm Plautina, cõtemptui à nobis haberi, aut etiam, quæ potius abiici à nobis voluerunt? Quasi verò, quum Ælius Stolo Musas Plautino sermone loquuturas fuisse dixit, si Latinè loqui vellent, quum Aulus Gellius eum Latinæ linguæ decus, & alibi, linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ principem vocauit, tam honorificos titulos sine assensu & quidem testimonio multorum non suę ætatis solùm, sed & aliorum, qui eam longè præcessissent, dare ausi fuissent. Quid quòd fuerũt & qui Terẽtij decus ex Plauti dedecore incrementum accepturum putauerunt? Ex eorum autem numero vnus epistolam cuidam typographicę Terentii editioni ante plusculos annos præfixit, in qua ita Terentium laudat, Plautum ita vituperat, vt quicunque fidem illi habuerit, Plautũ

in manus nunquam ſit ſumpturus, Terentium ex illis nunquam ſit depoſiturus. Adeo autem Terentio eſt deditus, adeo laudi eius & honori fauet epiſtolæ illius autor, ſiue Andreas Nauagerius, ſiue alius, is eſt, (nomen enim typographi illa, ſicut plerumque fit, mentitur) vt non ſolùm Volcatij Sedigiti ſed Horatii quoque de Terentio reiicere iudicium audeat, quòd eum à Cæcilio vinci grauitate dixerit. Atque hinc quoque apparet quàm periculoſum ſit quorundam criticorum noſtri aut noſtro proximi ſeculi iudicium, quòd Laurentius Valla, (quem alioqui de Latinis ſcriptoribus iudicem nemo eligendum non cenſuiſſet) aliquot ex primariis Latinæ linguæ ſcriptoribus laude ſua ſpoliarit, vt eorum ſpoliis vnum Fabium Quintilianum ornaret: quemadmodum in ſequentibus oſtendam.

Verùm, vt ab huiuſmodi criticis ad veteres illos reuertar, Ariſtophanem & Ariſtarchum, (quibus hoc nomen primis non illibenter, ſicut nec immeritò, antiquitas dediſſe fertur) grammaticos fuiſſe, literarum monumentis traditum eſt. Et quoniam vt hi, ita etiam ex illorum poſteris multi circa poemata potiſſimum cenſuram ſuam exercebant, ſeu cenſoria (vt loquitur Fabius) virgula vtebantur: hinc factum eſt vt progreſſu temporis criticorum appellatio quodam velut priuilegio conceſſa illis fuerit qui poematum cenſores eſſent, ea ad grammaticorum leges examinando. Quinetiam eò ventum eſt vt honor grammaticorum quorumlibet, qui ἀκριβέστεροι haberentur, (id eſt, vt opinor, exactiore & reconditiore doctrina præditi) tanquam hæreditario quodam iure, illo altero titulo auctior redderetur. Fateor tamen non ſatis ex Euſtathio liquere, vtrum

horum dicendum ſit: an grammaticos illos qui eſſent ἀκριβέστεροι, dictos fuiſſe κριτικοὺς, ſine adiectione: an verò appellatos fuiſſe γραμματικοὺς κριτικούς. Scribit enim in librum ι Iliadis, Ἡρακλείδης δέ φησιν ὡς τῶν τινὲς κριτικῶν, ὅ ἐστιν ἀκριβεστέρων γραμματικῶν, ὧν ἐστὶ καὶ Τισίας, ὑπερβατὸν ἔλεγον εἶναι. Poteſt autem ita intelligi hic locus, vt κριτικῶν iungatur cum γραμματικῶν: ſi quidem ὅ ἐστιν ἀκριβεστέρων per parentheſin poſitum exiſtimetur. Sed vtrumcunque horum verum ſit, hoc certè conſtat: quemadmodum multi grammatici criticorum nomen habuerunt, qui tamen eo munere non fungerentur, (ad eo vt honorarium tantùm non etiam onerarium illis eſſe nomen dici poſſet) ita viciſſim has partes ſuſcepiſſe multos, qui ſe grammaticos minimè profiterentur: nec minus aduerſus orationem ſolutam quàm poemata cenſuræ ſuæ autoritatem vſurpaſſe. Quam libertatem non infeliciter apud Latinos Quintilianus & Aulus Gellius æmulati ſunt, æmulari autem voluit & Macrobius. Quin etiam Anneus Seneca pleraque ad criticam facultatem pertinentia ſuis illis Controuerſiarum libris admiſcuit.

Verùm (vt à Græcis longius non diſcedam) inter eos qui hoc iuris apertè & non tanquam aliud agentes ſibi ſumpſerunt, (ex iis quidem certè quibus annorum iniuria pepercit) præcipui longè diſtantibus inter ſe temporibus fuerunt Dionyſius Halicarnaſſeus & Dionyſius Longinus. Hermogenes autem, dando aduerſus criticos conſilio, potius quàm criticè reprehendendo, criticum egit. Nam aduerſus criticos conſilium dediſſe dico, quum ſuos tam accuratè docuit, tam diligenter quæ ab optimis quibuſque ſcriptoribus rectè dicta ſunt, ante oculos poſuit, & de his ita præcepta tradidit, vt illorum qui hæc mente condita tenebunt, ſcripta,

criticorum cenſuræ hac in parte obnoxia eſſe vix poſſint.

Cæterùm cur critica ſeueritas, ea quæ maxima eſt, appellata ſit, in cauſa potiſſimum Ariſtarchus fuit. Quamuis enim duo grammatici & titulo & ſupercilio primi extiterint quos antea nominaui, Ariſtophanes & Ariſtarchus, & in eadem tempora inciderint, huius tamen non illius ſeueritas in prouerbium abiit. Quãta autem ea fuerit, oſtendit Quintilianus ſuarum Inſtitutionum oratoriarum libro primo. Nam de duobus illis potiſſimũ intelligenda exiſtimo quæ de ſeueritate iudicij veterum grammaticorum illic ſcribit. Poſtquã enim dixit, profeſſionem grammaticorum, quum breuiſſimè in duas partes diuidatur, rectè loquendi ſcientiam & poetarum enarrationem, plus habere in receſſu quàm fronte promittat, addit, *Nam & ſcribendi ratio coniuncta cum loquendo eſt, & enarrationem præcedit emendata lectio. Et mixtum his omnibus iudicium eſt: quo quidem ita ſeuerè ſunt vſi veteres grammatici, vt non verſus modò cenſoria quadam virgula notare, & libros qui falsò viderentur inſcripti, tanquam ſubdititios, ſummouere familia permiſerint ſibi: ſed autores, alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Vbi libros falsò inſcriptos vocat quos vno illi verbo ψευδεπιγράφους appellabant: vt ſubdititios, (qui & ſuppoſititij) quos illi ὑποβολιμαίους: licet frequentiùs νόθους vocarent. Quum autem ſummouere familia dicit, de iis intelligit qui γνησίοις admixti & in eandem familiam recepti erant. Veluti, ſi octauum de Peloponneſiaco bello librum, Thucydidis eſſe, de quorundam ſententia, negaremus, eum ſubdititium eſſe, & familia ſummoueri debere diceremus. Sic autem dicemus, Ariſtophanem ſibi permiſi-

ſſe ὑποθήκας familia Heſiodi ſummouere. Legimus enim apud eundem Quintilianũ. *In qua ſententia Heſiodum eſſe plurimi tradunt, qui ante grammaticum Ariſtophanem fuerunt. Nam is primus ὑποθήκας, in quo libro ſcriptum hoc inuenitur, negauit eſſe huius poetæ.* Obſerua porro, eundem Quintilianum in illo priore loco non dixiſſe tantùm *grammatici*, ſed *veteres grammatici*: eòdémque modo à Cicerone in quadam ad Dolabellam epiſtola (quem locum mox afferam) non *criticus*, ſine adiectione: ſed *criticus antiquus*, tanquam κατ' ἐξοχὴν quandam, dictum eſſe.

Ex duobus tamen iis quos dixi veteribus vel potius vetuſtiſſimis grammaticis, Ariſtarchus præſertim (licet alterius diſcipulus perhibeatur) adeo celebris tantæque autoritatis fuit, vt eius nomen, de quouis exactiſſimæ ac ſeueriſſimæ cenſuræ critico, locum prouerbio dederit. Tantum enim fidei iudicio Alexandrini huius grammatici adhibitum ab omnibus fuit, vt quemcunque in Homericis poematis verſum non probaret, is Homeri eſſe non crederetur, ſed παρεμβεβλῆσθαι: ideóque inter νοθευομένους, ſeu ἀθετουμένους, aut etiam ὀβελιζομένους referretur. Vtitur autem τῷ παρεμβεβλημένοι, necnon τῷ ὀβελίζειν, Cicero in vna earum epiſtolarum quas Dolabellæ ſcripſit, lib. 9, *Profert alter (vt opinor) duobus verſiculis expenſum Niciæ: alter Ariſtarchus hos ὀβελίζει. Ego, tanquam criticus antiquus, iudicaturus ſum vtrum ſint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι.* Vbi aſſentior iis qui *tãquam Ariſtarchus*, legere malunt. Hoc porro negotium Ariſtarcho mandaſſe fertur Piſiſtratus Athenarum tyrannus, (quod tamen admitti non poſſe, oſtendam in ſequentibus) quum tot verſus Homericis inſertos videret, vt repurgari huius poetæ libros neceſſe eſſet.

Quantum autem suo hac in re iudicio confideret Aristarchus, ostendit M. Tullius, quum Appio scribit, *Vt enim Aristarchus Homeri versum esse negat quem non probat: sic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum.* Idem verò oratione in L. Pisonem notæ ab eo apponi solitæ malo versui mentionem facit: *Verumtamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare: scire cupio quid tandem isto in versu reprehendas, Cedant arma togæ.* Vbi Cicero poetam quem Phalaris armis persequutus sit, videtur Stesichorum intellexisse.

Cæterùm, in quibus præterea rebus ista Aristarchi seueritas versaretur, quibus locis ille suam notam, aut (cum Fabio) suam censoriam virgulam apponeret, quisquis scire cupit, Horatii de arte poetica epistolam (si poematium illud pro epistola habendum est) in manus sumat. Audiet enim canentem Horatium,

Vir bonus & prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Transuerso calamo signum: ambitiosa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget.
Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit.

Et (quod illum de eo quod dixi dubitare non sinet) videbit eum subiunxisse, tanquam & quæcũque dixit, & cætera omnia eodem pertinentia, verbis complecti duobus volentem,

Fiet Aristarchus.

Perinde est enim acsi diceret, Atque (vt paucis absoluã) omni Aristarchi libertate & seueritate vtetur. Pauca tamen Horatius prætermisisse hîc videtur, ex iis quæ Aristarchi alicuius operam poscere putantur. Ac

expectasset quidem aliquis fortasse vt etiam eorum quę impropriè dicta essent, mētionem faceret: sed (vt omittam plerisque ambiguè dictis simul etiam improprietatem subesse) multo plus periculi est ambiguè quàm impropriè loqui. Ideóque magis etiam necessariū fuit,

Arguet ambiguè dictum,

quàm,

Arguet impropriè dictum.

Hæc porro Aristarchi crebra & honorifica apud omnes mentio fecit vt eius nomen in appellatiuum etiam ex proprio transiret: & ita quidem vt nec Cicero ita eo vti dubitarit, Attico scribēs, *Quid multa? totum hunc locum, quem in aristocratia ego variè meis orationibus (quarum tu Aristarchus es) soleo pingere, de flamma, de ferro (&c.) valde grauiter pertexuit.* Credibile denique est, critici & censoris officio melius Aristarchum, quàm eius præceptorem Aristophanem, functum fuisse: quum illius, non huius, nomen de quouis alienorum scriptorum fideli simul & seuero cēsore seu castigatore in prouerbium abierit. Nisi fortè Aristarchi potius quàm Aristophanis nomini datus hic vsus fuerit, quòd ambiguitate nomen hoc non itidem caruisset.

Hodie autem Aristarchi in plurimis supercilium, in paucissimis iudicium (quod tamē in critico primum est, & cuius quandam præstantiam hoc ipso etiam titulo præ se fert) manere videmus. Ideóque quod in vnum hac de re lusi epigramma, multis conuenire potest. Est autem huiusmodi,

Tu critici titulúmque superciliúmque, Leuine,
Sumis, ceu critici munus obire queas.
A leuitate quod est (vt scis) ab origine prima
Nomen, id infaustum muneris omen habes.

Eſt leuitatis & hoc, quòd aperto vix bene libro,
Immiti criticas imprimis vngue notas.
Eſt leuitatis & hoc, quòd tu quæcunque notaſti,
Immemor illorum es, clauſus vt ille fuit.
Quæ leuitas! nunquam iungis verba vltima primis,
Quíque locus legitur, non tibi perlegitur.
Iudicium & leuitas pugnant: critici tamen illud
Præcipua eſt virtus: nomen hic inde trahit.
Tolle ſupercilium critici titulúmque, Leuine:
Haud critico ſatis eſt poſſe μέγα φρονέειν.
Priſcus Ariſtarchus μεγάφρων *erat: haud nego: verùm*
Vt μέγα *erat* φρονέειν, *ſic &* ἄκριτα φρονεῖν.

Primam autem in voce Criticus ſyllabam hîc breuem feci, Latinorum more, non oblitus me alioqui antea in κριτικὸς, ſicut & in κριτὴς, eam produxiſſe.

Sciendum eſt porro, criticorum mentionem plerunque fieri plurium ſimul (non adiectis tamen nominibus) ac non vnius tantummodo. Sic certè Strabo de iſto verſu Homeri loquens, qui eſt in eius Bœotia, ſiue catalogo nauium,

Στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες,

ſcribit non placuiſſe criticis interiici hunc verſum. Vnde apparet, iudicaſſe illos eum eſſe ex iis quos παρεμβεβλημένους (vt antea dixi) vocabant: qui etiam παρεντεθειμένοι & παρεγγεγραμμένοι dicti fuerunt. Non immeritò autem verſum hunc cæteris inſeri nolebant critici, quum Solon vel Piſiſtratus is fuiſſe diceretur qui eum interpoſuiſſet, vt teſte Homero probaret, Salaminem iam à principio Athenienſium fuiſſe: quum alioqui de illa inter Athenienſes & Megarenſes eſſet contentio. Quemadmodum igitur Athenienſes Homerum ſcripſiſſe aiebant,

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
Στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες:

ita viciſſim Megarenſes,ab eo ita ſcriptum fuiſſe,

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
Ἔκ τ' Αἰγειρούσσης, Νισαίης τε, Τρίποδός τε.

Megarenſium enim eſſe hæc loca. Animaduertendum vero hîc eſt, non veriſimile videri, Piſiſtratum dediſſe Ariſtarcho illam Homeri repurgandi prouinciam, ſi ipſemet aliquid in eo corrumpere auſus fuerat. vt omittam,illos,Piſiſtratum inquam & Ariſtarchum, minimè συγχρόνους fuiſſe.

Cæterùm, quoſdam fuiſſe criticos crediderim, qui nequaquam tantum autoritatis, quantum alij, ſibi tribuerent, ſuóque iudicio cum tanta quantam dicit Quintilianus ſeueritate vterentur, ſed quoſdam locos ſuo modo exponere contenti eſſent. Sic certè Euſtathius de iſtis Homeri verſibus loquens, qui ſunt Iliadis libro ι,

Ἡ δὲ χολωσαμένη δῖον γένος ἰοχέαιρα
Ὦρσεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα,
Ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν, ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν:

in horum poſtremo criticos (quorum eſſet Tiſias) ἔθων aliter expoſuiſſe ait quàm exponi vulgò ſoleret. Sed dubium eſt(vt antea dixi)an hîc intelligat Euſtathius, τοὺς ἀκριβεστέρους γραμματικοὺς,dictos fuiſſe criticos,ſine adiectione:an verò grammaticos qui tales eſſent,videlicet ἀκριβέστεροι (quaſi magis exactos dicas: id eſt, doctrina quadam magis exacta & recondita præditos) vocatos etiam fuiſſe grammaticos criticos. Ac mihi certè non minus iſtud ſit veriſimile:& ex horum potiſſimum numero fuiſſe illos qui quaſdam ſibi peculiares ἐξηγήσεις proponere contenti eſſent. Sed addam & hoc, nequa-

quam

quam credibile mihi esse, fidem illis in omnibus adhibitam fuisse: atque hoc vel ex ista tam peregrina expositione coniicere. Quid enim magis ξένον, magis ἀλλόκοτον afferri potest, quàm ἔθων in illo Homeri versu dictum esse per literarum metathesin pro θέων? & quidem θέων pro καταθέειν, id est κατατρέχειν, accipiendo?

SICVT verò prisci scriptores Græci, potissimúmque poetæ, sic etiam Latini suos criticos habuerunt: vt cum aliunde, tum ex isto Horatij loco patet,



Ennius, & sapiens & fortis, & alter Homerus
(Vt critici dicunt) leuiter curare videtur
Quò promissa cadant & somnia Pythagorea.

Vbi quum ita loquitur Horatius, *vt critici dicunt*, perinde esse puto acsi diceret, si criticis credere dignum est. illósque perstringere arbitror, tanquam iudicium in illis desiderantem: quòd quum alterum Homerum esse prædicent, cum aliunde tum verò ex somnii eius testimonio hanc in opinionem adducti (aiebat enim Ennius somniasse, mortuum se esse, & per Pythagoreā metempsychosin, animam Homeri suum in corpus immigrasse: atque ab eo tempore Homericæ venæ hæredem quodammodo extitisse) atque interim non animaduertant, multos esse poematum eius locos, qui tantam expectationem non sustineant, multos esse versus qui illi de eo conceptæ opinioni non respondeant. Dicit autem, *Quò promissa cadant*, id est, quis suorum promissorum sit euentus: promissa præstet, nécne: quasi non alios quàm illa Homerica vt anima, ita etiam vena dignos versus scripturū se promisisset.

Satyra autem libri prioris vltima, vnius criticorum sui temporis mentionem facit, qui Sp. Metius Tarpa vocabatur.

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dúmque
Defingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,
Quæ nec in æde sonent certantia iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Quinetiam in epistola de arte poetica, illius meminit,

si quid tamen olim
Scripseris, in Meti descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras.

Nec verò alius quàm hic esse existimatur, ille qui à Cicerone Spurius Metius appellatur: in epist. ad Marium, quę libri epistolarum ad familiares septimi est prima: *Nobis autem erant perpetienda quæ Sp. Metius probauisset.* Cęterùm vetera scholia in illũ Satyrę vltimę libri prioris locum, Metium Tarpam, iudicem fuisse criticum tradunt (vbi obserua non dici tantùm criticum, sed iudicem criticum: sicut & alibi) auditorem assiduum poematum & poetarum, in æde Apollinis seu Musarum: quò conuenire poetæ solerent, suáque scripta recitare. Quibus hæc etiam addit, quæ diligenter obseruanda sunt, illa poetarum scripta, nisi à Tarpa aut alio critico (qui numero erant quinq;) probarentur, in scenam non solita deferri. Horatius quidem certè, iis etiam quæ subiungit ostendit se neque huius critici neque aliorum iudicium morari: sed tanquam ludentem & fallere tempus cupientem (nam & huc respicere illum puto, quum ludere se dicit) quædam sibi & amicis suis scribere, ac minimè vulgi in theatro applausum ex illis captare: siue, vt alibi loquitur, non egere plausoris aulæa manentis, & vsque sessuri donec cantor plaudere iubeat. — *nam satis est equidem mihi plaudere,* inquit. Malè autem quidam ad Mæcenatem hoc restringunt: quum & alibi ostendat Horatius se vt iudi-

cium vulgi contemnere, ita cum aliorum tum equitum iudicio multum tribuere: & quidem plebi equitem alicubi opponat: vt in epist. ad Augustum, duobus in locis. nam & ibi ἐνικῶς voce illa vtitur, licet plures intelligens.

Atque hîc operæpretium est considerare, contrariá esse poetæ & oratoris conditionem: quum poeta aspernari vulgi iudicium possit, contrà autem, summi sit oratoris, summum oratorem populo videri: ac, si probetur orator multitudini, non sit quòd doctorum iudicium magnopere desideret: vt in suo Bruto nos docet M. Tullius. Vbi tamen legimus etiam, eos qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos. Ibidem, postquam narratum est illud Antimachi, qui, quum conuocatis auditoribus, legeret eis magnum illud volumen suum, & cum legentem omnes præter Platonem reliquissent, Legam, inquit, nihilominus. Plato enim mihi vnus instar est omnium. Vbi, inquam, narratum hoc est, additur, Et rectè. poema enim reconditum, paucorum approbationem, oratio popularis assensum vulgi debet mouere.

Verùm, ad illos Horatii criticos vt redeam, quemadmodum ipse de iis quibus Ennium ornauerat laudibus, testes criticos citauerat: ita eorum sequi testimonium videtur in his quæ de aliis addit,

Ambigitur quoties vter vtro sit prior, aufert
Pacuuius docti famam senis, Accius alti:
Dicitur Afranj toga conuenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi:
Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte.

Nec tamen putandum est omnium criticorum idē

D. ij.

de his iudicium fuisse. Quintilianus certè eodem modo Accium & Pacuuium coniungens, de iis hæc scribit, *Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuuius, clarissimi grauitate sententiarum, verborúmque pondere, & autoritate personarum.* Et paucis interiectis, *Virium tamen Accio plus tribuitur. Pacuuium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.* Pauca verò illa quæ interiiciuntur, quibus eos excusat potius quàm accusat, sunt ista, *Cæterùm nitor, & summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quàm ipsis defuisse.* Hæc autem faciunt vt de hisce duobus potissimum intelligenda existimem ista quæ Horatius iis quæ attuli subiungit,

Interdum vulgus rectum videt, est vbi peccat.
Si veteres ita miratur laudátque poetas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet: errat.
Si quædam nimis antiquè, si pleraque durè
Dicere credit eos, ignauè multa, fatetur:
Et sapit, & mecum facit, & Ioue iudicat æquo.

Atque vt omittam quod de Liuii carminibus iudicat in iis quæ proximè sequuntur: de Plauto, (de quo melius quàm de illis iudicare possumus, quum huius aliquam saltem partem, at illorum parua tantùm fragmenta iniuria temporum nobis reliquerit) quale iudicium eius fuit! an criticum in eo agere dicemus?

At nostri proaui Plautinos & numeros &
Laudauere sales: nimium patienter vtrumque
(Ne dicam stultè) mirati. si modò ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimúmque sonum digitis callemus & aure.

Horatiúmne (inquam) criticum hîc agere dicemus? Profectò, si personam hanc suscipit, criticum omnium audacissimum agit. Quæ enim esse maior in hoc ge-

nere audacia poteſt, quàm ſcriptorem eum quem alios laudibus in cœlum propemodum tuliſſe ſciret, non tantùm in ordinem cogere, ſed ita deprimere vt explodendus omnino videretur? Præſertim verò ſi, quæ de eodem in Epiſtola ad Auguſtum legimus, non laudandi ſed reprehendendi ſtudio dixit, non dubitabimus quin dignum qui exploderetur cenſuerit. Scripſit enim,

— aſpice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Vt patris attenti, lenonis vt inſidioſi.

Nam ſi Plauto hac etiam in parte, in qua potiſſimum excellere cenſetur, laus omnis eripiatur, (quod fiet, ſi exponamus, Aſpice quàm malè Plautus tutetur horum partes, quàm malè comico decoro his in perſonis ſeruiat) quæ illi ſupereſſe dici poterit? quæ? inquam: ſi quidem Horatio de illis quoque aſſentiamur quæ in ſua Arte poetica de eius numeris & ſalibus ſcribit.

Operæpretium eſt autem conſiderare, quouſque quorundam huius ætatis criticorum aduerſus hunc comicum audacia proceſſerit, dum illis Horatij verbis, tanquam firmiſſimo præiudicio, ſuum inniti poſſe iudicium exiſtimant. Nam Andreas Nauagerius, aut quicunque eſt illius quam dixi epiſtolæ autor, Franciſci Aſulani nomine ad Ioannem Grolierium, qui tum primarius Inſubriæ quæſtor erat, ſcriptæ, & Terentii editioni præfixæ: quicunque (inquam) eſt illius autor, non contentus Terentium Plauto anteferre, vix vllum huic locum relinquit. Ac primùm quidem illum Volcatium Sedigitum, qui cum critica quadam aut etiam pluſquam critica audacia iudicium de comicis Latinis tulit, acriter reprehendit. *Quicunque* (inquit)

Volcatius ille Sedigitus fuit, qui iudicium de Latinis comicis, in his qui circumferuntur iambis tam audacter tulit, vt nihil eum qui contrà sentiat, sentire dixerit: næ ille mihi omni ipse prorsus videtur sensu caruisse. Cæcilio palmam statuit. Facilius id fortasse quàm decuit. Quanquam enim de eo cuius nulla extent scripta, iudicari nihil possit: non parui tamen Ciceronis iudicium, qui nunc, malum eum esse Latinitatis autorem, nunc, male loquutum dicit, faciendum est. Deinde, postquam dixit, se tamen ob hanc ipsam causam quòd omnia eius scripta interciderunt, condonare Ciceroni velle hoc iudicium, & rectè Cęcilio delatam palmam existimare: ne temere in eum quem non legerit, pronuntiasse quidquam videatur: quum præsertim Horatius etiá grauitate eum dicat vincere. Hæc (inquam) vbi dixit, subiungit, *Quid quòd Plautum cæteros superare, ac sexto demum loco consequi Terentium asserit? vllóne id pacto assentiri possumus? Ego verò tantum abest vt in hac sim sentẽtia, vt longo interuallo post Terentiũ Plautum arbitrer collocandum.* His subiungit, se, vt hoc sentiat, non solùm elegantia sermonis moueri, qua Terentium facillimè omnes excellere, neminem esse qui neget: sed velle, in hoc parem illi Plautum esse: velle, quod hominis fortasse vitium sit, ætati adscribere: vt durior dicatur esse Plautus, asperis quibusdam atque obscuris verbis vti, quòd tunc sic loquerentur, & non posset alio quàm ætatis suę sermone vti. *Longè Terentius* (inquit) *cultior: nihil in eo non lene, nihil non elegans. Limatior tum scilicet Latina lingua facta est. non eius hæc propria existimanda laus, sed communis illius ætatis omnium. Vt hæc (inquam) ita esse concedam, quid? cætera quæ multo maioris artis sunt, possúntne vlla ratione paria in vtroque fieri? Omnibus mihi Plautus in rebus (li-*

ceat liberè proferre quod sentio) videtur nimius: ita illo Terentius parcior, vt nihil ab eo tamen, quod desiderari possit, relinquatur. Hiant nonnunquam neque satis cohærent Plauti comœdiæ: ita omnia Terentij inter se nexa, ita ex omnibus vnum quoddam conficitur, vt nihil aptius illius fabulis, nihil magis fieri ad vnguem possit. Ac postquam (paucissimis interiectis) adiecit, decorum illud, quod in omnibus tantopere custodiendum est rebus, in fabulis verò, (vbi congrua vnicuique personæ effingenda sunt omnia) nisi seruetur, nihil prorsus fiat: neminem Terentio melius obseruasse: Plautum contrà huius nonnũquam obliuisci ait. Tandem verò ad Plauti facetias venit, & de iis non solùm assentitur Horatio, sed magis etiam vituperat. Scribit enim, *Ac mihi quidem aliquando hæc quæ diximus consideranti, ob id Plautus minus in his fortasse posuisse curæ videri solet, quòd vnum illi studium facetiarum fuit. nihil ille aliud propositum comico poetæ credidit, quàm populo risum mouere. Id dum vnum captat, vni huic rei dum inseruit, vt id quod voluit maximè assequutus sit, & vrbanissimus sit spectatoribus visus, multa certè alia & potiora omisit.* Ac ne his quidem contentus, ita eius sales vituperat, vt magis nemo posit: his verbis, *Atque ipsi tamen etiam illi sales, dum vndique eos colligit, vndique ex omni re aucupatur, hebetes plerumque ac scurriles sunt: nec quos, extra illum in theatro concitati vulgi plausum, sedatus probare lector possit.* At Terentium ita sibi hac in re moderatum esse dicit, vt in hoc quoque non minus quàm in cæteris quæ commemorauit, præstitisse omnibus videatur. Facetiarum enim duo esse genera: vnum in re, alterum in verbo esse positũ. Sed multo id venustius & grauius esse quod re tractetur: acutum nonnunquam & elegans esse quod in verbo.

est, sed frigidum tamen plerumque esse, & facillimè in scurrilitatem delabi, siquis sibi in eo non moderetur. Terentium igitur, crebrum in priori genere, in posteriori parcum: contrà, Plautum, in illo rarum, in hoc frequentissimum. Atque hinc factum esse vt rudi fortasse populo & spectatoribus (quippe qui scurra sæpius quá poeta delectentur) salsior sit Plautus visus: peritis certè auribus & sapienti lectori nihil Terentio festiuius videri debere. Plauti quæ lepida dicta sint, placere semel posse: Terentij, quo magis inspiciantur, eo venustiora apparere. Risum persæpe illum mouere, sed & cachinnum: nunquam cachinnum Terentium. Denique in Plauto dicacitatem, in Terentio vrbanitatem conspici maximam. Tandem verò ad testimonium illud Horatij (quem acerrimo inter poetas omnes iudicio dicit sibi videri) confugit.

Vide obsecro lector, vide, annon meritò tibi dixerim, habiturum te in hac Nauagerii siue Naugerii epistola (eius enim esse, propemodum persuasum habeo) vbi considerare posses quò criticorum progrediatur audacia, quum iudicium suum veteris alicuius scriptoris testimonio, tanquam præiudicio, fulcire se posse existimant. Sed cur non Ciceronis iudicio si non tantum quantum Horatiano, aliquid saltem tribuit? Hoc facere si velit, audiat illum hæc dicentem, tertio De oratore libro: *Equidem, quum audio socrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conseruãt, quòd multorum sermonis expertes, ea tenent semper quæ prima didicerunt) eam sic audio vt Plautum mihi aut Næuium videar audire.* Quid? an, si Plauti sermo Ciceroni displicuisset, in Læliæ tamen ore illi placere, & quidem ab eo laudari potuisset? An, si huius comici

sermo

ſermo laudatores multos non habuiſſet, Ælius Stolo (ſiue Stilo) dicere auſus fuiſſet, Muſas Plautino ſermone loquuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent? Nónne & Varronem hoc Ælij Stolonis dictum commemorare puduiſſet? Vt de Quintiliano taceam, qui ita hoc refert vt aſſentiri ſe oſtendat.

Ad ſales autem quod attinet, vide vt omnino audacis illius critici ſententiæ repugnet criſis Ciceroniana, De offic. lib. 1. *Duplex eſt omnino* (inquit) *iocandi genus: vnum, illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum, elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum: quo genere non modò Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt.* At hoc ſaltem non negabis, (dicet Nauagerius) multos eius iocos dicacitatem habere. Non negabo: nec ipſe, vt opinor, Cicero negaturus fuit. Sed hoc fortaſſe adieciſſet, ſe, quam oratori non permittat, poetæ comico libenter permittere. Nam illa ipſa antiqua Atticorum comœdia, quam illo iocandi genere vrbano, eleganti, faceto abundare dicit, nónne & dicacitatem ac quam Græci βωμολοχίαν appellant, alicubi admittit? Sed videndum eſt vt ſeruis aliíſve perſonis vilibus potius quàm aliis illa tribuatur: quod à Plauto etiam vbique fortaſſe ſeruatum eſſe comperiemus. Et quoniam in antiquæ comœdiæ mentionem incidi, hoc addo, Plautum Græcam illam antiquitatem ſua Latina nobis repræſentare antiquitate: & quidem ita vt eum in quibuſdam comœdiis ſibi permiſiſſe putem, vni eidémque multa ex multis veterum Atticorum comœdiis emblemata intexere: ſed ſic tamen vt ſuam magna ex parte poſſet dicere: at Terentium magis vni eidémque comico Græco in vna eadémque comœdia ſe adſtrinxiſſe.

Illud autem cachinni Plautini & risus Terentiani discrimen (dicit enim Plautum quidem persępe risum, & sæpe cachinnum, at Terentium risum tantummodo, cachinnum nunquam mouere) tam ineptè in medium afferri videtur, vt vllo ipsum responso dignari pudeat. Sed quod ait, Plauto vnum facetiarum studiũ fuisse, eum nihil aliud propositum comico poetæ credidisse, quàm populo risum mouere: tantum à veritate abesse contendo, vt, quum maxima sit laus cùm aliorũ tum verò comicorum poetarum, simul & iucunda & idonea dicere vitæ, maiorem hac in laude partem Plautus quàm Terentius capere dici possit.

Sed quid ego tam multa? Vnum hoc argumentum aduersus hunc criticum anticriticè proponere satis fuisset, Terentium sua ex Plautinis fabulis furta, omnis generis, passim obuia habere.

NEC VERO ab ipsius Virgilij poematis manus suas, vel potius suas notas abstinuerunt critici. Nam hic eclogæ secundæ locus,

Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciua capella.
Te Corydon, ô Alexi. Trahit sua quemque voluptas.

hic inquam locus quum nobis bellè se habere videatur, critici tamen in eo verba ista reprehenderunt, *trahit sua quemque voluptas*, teste Seruio. *Notabatur à criticis* (inquit) *quòd hanc sententiam dederit rustico, supra carminis bucolici legem, aut possibilitatem.* At ego facillimè Virgilium posse hîc defendi puto. quid enim loquitur hoc in loco Virgilianus rusticus, nisi quod prouerbiale est? quid autem magis vulgare, & infimo etiam vulgo conueniens, quàm prouerbia? & ea quidem præsertim quæ huius generis sunt. Quod quum ita sit, ab

iis etiam dissentio qui poetas posteriores à prioribus sententias huiusmodi mutuatos dicunt: & quidem de hac ipsa hoc scribunt. nam quum Archilochus dixit,

Ἀλλ' ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται,

vel,

Ἄλλος γὰρ ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται,

eum respexisse ad Homerica illa volunt,

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.

Quasi verò talia cuilibet in mentem non veniant, & Vlyssem tantùm aut alium ex proceribus dicere illud decuerit, Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις: ac non vel Eumæo eius subulco tribui potuerit: quum nihil dicatur quod experientia quotidiana passim non comprobetur. Fateor alioqui esse quasdam sententias (ex prouerbialibus etiam) quæ vili personæ nequaquam conueniant: adeo vt non immeritò dicatur apud comicum admirabundè simul & indignabundè, *Etiam sententias loqueris carnifex?* tanquam nec suo captui nec suæ conditioni conuenientia loqueretur. Idem autem sonare videntur interdum illa verba, Sententias loqui, quod nobis ista, *Se fonder en raison.* Iam verò, non solùm quædam sententiæ rariores & grauiores (etiamsi, vti dixi, è prouerbialium numero sint) talibus personis tribui non possunt, sed etiam de triuialibus (vt ita loquar) idem iudicãdum existimo, si quidem illis aliquid aut præfigatur aut subiungatur quod esse quodammodo philosophantis (vt etiam Plautus comicè hoc verbo vtitur) dici possit. Ac exemplo fortassis ille nobis locus Homericus esse possit, Odysseæ libro ξ. Nam illum quidem versum,

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις,

non solùm Vlyssi (vt antea ostendi) sed eius etiam su-

bulco Eumæo, tribuere potuit Homerus, meo quidem iudicio: sed hunc quem illi præfigit de suo, eodem pertinentem,

Αὐτὰρ ἐμοὶ τὰ φίλ' ἔσκε τά που θεοὶ ἐν φρεσὶ θῆκαν,

nonnisi pręter decorum, vt opinor, tribuisset. Nam cogitare, diuinitus hoc fieri vt alia alium voluptas trahat, & quidem ipsis diis huius vel illius rei amorem menti nostræ indentibus, iam certè hoc sicut vltra prouerbium est, ita etiam vltra talis personæ captum esse videtur. Neque tamen is qui istum Homeri locum diligẽter expendet, hunc esse illius sensum negabit. Hîc enim faciendum est, mea quidem sententia, quod & in aliis quibusdam Homeri locis à me fieri solet, vt aliquid ex præcedentibus repetendo, ea inter se colligem quæ alioqui non satis cohęrere videri possent. Nam hîc, quomodo versu isto, Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις, eius qui proximè præcedit afferri rationem dicemus, nisi eo quo ostendi vinculo superiori illum annectamus? perinde acsi ita scripsisset Homerus, (si exempli gratia aliquid παραποιεῖν vel potius μεταποιεῖν mihi licet, apud eum qui tam feliciter omnes suos versus ἐποίησεν, vt solus ποιητοῦ titulum κατ' ἐξοχὴν obtinuerit) ita inquam posteriorem versum intelligendo, acsi Homerus eum hoc modo scriptum reliquisset,

Θεῖον γάρ τ' ἄλλῳ ἄλλον τέρπεσθαι ἐπ' ἔργῳ.

vel suo illi versui, nihil immutato, adiecisset οὐκ ἀθεεὶ ita,

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις,
Οὐκ ἀθεεί.

Nam his verbis ad hoc significandum alibi eum vti, videmus. Verùm ad cæteras Virgilii criticas reprehensiones pergendi tempus est.

Reprehensus igitur à criticis fuit & hic locus octa-

ui Æneidos libri, de Hercule,

Vt bello egregias idem disiecerit vrbes,
Troiámque, OEchaliámque.

Hîc enim Seruius, postquam dixit, Herculem Troiam euertisse, propter negatos sibi à Laomedonte equos diuino semine procreatos, & Hesionæ nuptias, quam à ceto liberauerat, necato Laomedonte: addit, *Sanè critici frustra culpant Virgilium, quòd præsentibus Troianis laudari introduxit Troiæ excidium.* Atque hæc ἀπολογούμενος subiungit, (ostendens se non abs re dixisse, frustra culpari ab illis Virgilium) *non respicientes quia hoc ratio fecit hymnorum: quibus aliquid subtrahere, sacrilegium est.* Iam verò & Tiberius Donatus reprehensionis huius meminit. Scribit enim, multos (non addens, criticos) Virgilium hoc loco reprehendere, quòd præsentibus Troianis triumphum actum de Troia non debuerit ponere. Verùm & ipse Virgilium defendit, & quidem eandem quam Seruius rationẽ afferens. *Quasi demum* (inquit) *in hominũ gratiã, diuorũ debeat veneratio mutilari. Hoc genere minueretur solennis illa laudatio eius diei cuius apud eos meritũ in maximo atque æterno honore fuerat cõstitutũ.* Sed non animaduertit Donatus se in proximè præcedentibus aliquid dixisse, quod retorqueri aduersus hãc defensionem posset. nam in hæc verba, *Troiámque OEchaliámque,* annotauit, has vrbes non fuisse solas, sed ex vniuerso numero sumptas (quem ille generalitatem vocat) vt ex his apparere posset quales vel quantæ fuissent cæteræ. Hoc (inquam) aduersus defensionem illã posse retorqueri videtur. Si enim quarundam vrbium nomina omittenda erant, cur non Troiam ex iis esse, & alîus cuiuspiam potius mentionem facere volebat?

Hoc etiam in loco libri Æneid. decimi fuisse notatũ

à criticis Virgilium ſcribit Seruius,

—Ænćia puppis

Prima tenet, roſtro Phrygios ſubuecta leones.

Admonet enim, criticos notauiſſe hîc poetam, quemadmodum ſic citò dixerit potuiſſe naues Æneæ fieri. Sed addit, picturam hoc excuſare: quam ſolam debere nos mutatam accipere. Dixerat autem in iis quæ nullo interuallo præcedunt, velle Virgilium pro iugo roſtiú nauis fuiſſe: & leones ſingulos in ſingulis nauis partibus fuiſſe depictos.

Nec dubito quin de iiſdem criticis intelligenda ſint quæ ſcribit in librum eiuſdem poematis tertium. Poſtquam enim hoc in loco,

Nam Polydorus ego. hîc confixum ferrea texit

Telorum ſeges, & iaculis increuit acutis,

verbum *increuit* expoſuit reuiruit (de qua expoſitione vix aſſentiri illi poſſim) & addidit, illum traxiſſe hoc de hiſtoria Romana: (nam Romulum, ca; tato augurio haſtam de Auentino monte in Palatinum ieciſſe: quæ fixa fronduit & arborem fecit) & ſubiunxit, vituperabile enim eſſe, poetam aliquid fing re quod penitus à veritate diſcedat: ſermonem hunc verbis iſtis finit, *Denique obiicitur Virgilio de mutatione nauium in nymphas: & quod dicit, per aureum ramum ad inferos eſſe deſcenſum. Tertium, cur Iris Didoni comam ſ. cuerit. Sed hoc purgatur* (inquit) *Euripidis exemplo, qui de Alceſtide hoc dixit, quum ſubiret fatum mariti*. Vbi de hoc primùm lectorem monebo: videri mihi pro *denique* potius *ideóque* aut aliud huiuſmodi vocabulum eſſe ſcribendum. Vituperabile eſt (inquit) poetam aliquid fingere quod penitus à veritate diſcedat. Ideóque nonnulla Virgilio quæ ſic ab eo ficta ſunt, obiiciuntur.

Sed, siue criticorum siue Seruij sit illud ἀξίωμα, videamus an rationi consentaneum sit. Si enim *pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,* (quod Horatius ex antiquitate traxit: quum sit παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι ποιητὰς καὶ γραφέας) si verum est quod Naso canit, tanquam huc respiciens,

Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide:

si, inquam, vera hæc sunt, quomodo falsum illud non est, reprehensione in poeta dignum esse, fingere aliquid quod à veritate penitus discedat? Atqui verè hæc à se dici, infinitis propemodum exemplis probat idem Naso, quæ affert antequam ad illud epiphonema veniat. Quum enim dixisset,

Nec tamen vt testes mos est audire poetas.
Malueram verbis pondus abesse meis:

subiungit,

Per nos Scylla patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibúsque canes.
Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues.
Victor Abantiades alite fertur equo.

Et versibus aliquot interiectis, eiusdem nauiũ in nymphas mutationis mentionem facit quæ à Virgilio canitur.

Protea quid referam, Thebanáque semina dentes?
Qui vomerent flammas ore, fuisse boues?
Flere genis electra tuas, auriga, sorores?
Quæque rates fuerant, nunc maris esse deas?

Interim tamen illud Hesiodeum me non latet, vel potius illud Musarum dictum, apud Hesiodum,

Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα. quod pro criticis (si ἀξίωμα illud eorum est) facere dici posset, si,

non ψεύδεα πολλὰ, ſed ψεύδεα πάντα dictum eſſet.

At verò ille per aureum ramum ad inferos deſcenſus vel eo nomine excuſationem meretur, quòd ex iis ſit quæ ἀλληγορικῶς ficta eſſe conſtat.

Ad tertium illud quod Virgilio obiicitur venio, Cur Iris Didoni comam ſecuerit. Ac primùm mirari me dico, cur ratio quæratur, quum eam addiderit, ne à quoquam quæreretur. Canit enim,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygióque caput damnauerat Orco.

Quibus addit,

Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios aduerſo ſole colores,
Deuolat: & ſupra caput aſtitit, Hunc ego Diti
Sacrum iuſſa fero: téque iſto corpere ſoluo.

Iris enim hîc tanquam vicariam Proſerpinæ operam præſtans deſcribitur: & ex iis qui præcedunt verſibus, nobis colligendum relinquitur, à Proſerpina id quod alioqui more ſuo factura erat, factum iam non fuiſſe, — *quia nec fato, merita nec morte peribat*. Quòd ſi reprehenſione dignus eſſet Virgilius, non minus certè Euripides, apud quem hæc Charon Apollini, in Alceſtide,

Πόλλ' ἂν σὺ λέξαις, οὐδὲν ἂν πλέον λάβοις.
Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς ᾅδου δόμους.
Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

Critici ex aliis quæ multo minora, id eſt, minoris momenti, ſunt, reprehendendi huius poetæ occaſionem quæſiuerunt. Eorum vnum eſt, quòd duo epitheta vni

ta vni rei alicubi dedisset. vel potius, dedisse illum dicerent. Nullo enim in loco, cuius quidem suspecta non sit lectio, hoc inuentum iri puto. Neque possum fidem Seruio adhibere, scribenti, quamuis apud Latinos vitiosum sit epitheta duo adhibere, hoc tamen fecisse Virgilium in paucis quibusdam versibus: sed hos emẽdatos fuisse. A quo enim emendatos fuisse dicemus? an à quopiam critico? Immo verò, nullum qui hac emendatione egeret, Virgilium reliquisse, ac potius Seruium in mendosa exemplaria incidisse existimo. Atque hoc posse colligi dico ex eo quod de isto versu scribit, qui est Ecloga I I I,

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Ita enim de hoc versu scribit in illum locum tertij Æneidos, acsi Virgilius quidem *facilis* in eo scripsisset, sed ab emendatore seu ab emendatoribus *facili* substitutum esset. Nec verò aliud intelligere videtur, quum in illum ipsum Eclogæ tertiæ locum annotat, Donatum legere *facilis*: legi tamen & *facili*, ad excludenda duo epitheta. quoniam hoc in Latinitate est vitiosum. Atqui Pierius *facili* in omnibus vetustis codicibus legi testatur, præterquam in vno: in quo tamen esse non *facilis*, sed *fragilis*: quod epithetum viti minimè conuenit. Sic certè & de hoc libri Æneidos tertij loco,

— & lenis crepitans vocat auster in altum,

scribit, duo epitheta posuisse vitiosè: & hoc tamen propè in decem versibus fecisse. Atqui dicit alibi (vt antea docui) versus illos in quibus hoc vitij erat, fuisse emendatos. Ac certè aliam hîc lectionem multi veteres habent libri (non tamen ex alicuius correctoris manu, sed potius ex ipsius Virgilii autographo, vt opinor, profectam) *lene crepitans*, vt producatur posterior no-

minis *lene* ſyllaba, libertatem Græcorum, ſicut & alibi, vſurpando. Verùm, etiamſi *lenis* retineamus, cur Seruio duo eſſe epitheta volenti aſſentiamur? Quomodo *crepitans* eſſe epithetum dicemus, quum ſatis conſtet perinde eſſe acſi *crepitando* ſcripſiſſet? Itidem porro in illum locum libri ſecundi Æneidos, — *clypeíque inſigne decorum Induitur*, falsò credit videri alicui poſſe, duo hîc eſſe epitheta: non animaduertenti, *inſigne* ſignificare ornamentum. Sicui enim hoc videatur, quod inueniet nomen quocum duo illa iungat?

Quædam etiam afferuntur reprehenſiones, quæ nõ tam criticum quempiam quàm Virgiliomaſtigem olent. Quarum è numero eſt hæc, verſus iſtius, qui in Ecloga ſecunda legitur,

Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit.

Scribit enim Seruius, Virgiliomaſtigem, malè diſtinguentem hunc verſum, vituperare: hoc modo, *Lac mihi non æſtate nouũ, non frigore: deſit.* Id eſt, ſemper mihi deeſt. Verùm vt quoſdam locos propter ambiguitatem dignos eſſe fateor qui culpentur (nam & Horatius vult eum qui Ariſtarchi partes ſuſceperit, arguere quod ambiguè dictum ſit) ita hunc iſta reprehenſione omnino indignum eſſe contendo: quoniam illo altero modo eum interpungere ineptum eſt.

MVNVS Latinorum non minus quàm Græcorum criticorum erat etiam, in librariorum fidem inquirere: &, ſiquos in locos menda inuexiſſe eorundem librariorum negligentia videbatur, de eorum emendatione ad ſuum tantummodo oraculum confugiendum eſſe, de illis ſe, non aliter quàm Sibyllinos ſacerdotes de Sibyllę verbis, conſulendos arbitrabantur. Sicubi autem librarij inter ſe non conſentiebant, ſed locum aliquem alii

aliter ſcriptum reliquerant, vtra ex duabus vel quæ ex pluribus ἀκριϐὴς & γνησία eſſet γραφὴ, pronuntiare, ſui iuris eſſe aiebant.

Præſertim verò in ea quæ ſuppoſititia eſſe cenſebāt, ſeueram (ſicut & Græci) cenſuram exercebant: ſed hac quoque in parte iniquam interdum. Atque hoc cū de aliis locis poſſe dici videtur, tum verò de hoc Virgiliano, Æneid. libro VII,

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Hos enim verſus olim quidam critici pro adulterinis ſeu nothis habuerunt, ideóque obeliſmo dignos iudicarunt: non alia de cauſa quàm quòd à grauitate huius poetæ abhorrere viderentur. Nec verò noſtra etiam ætate defuerunt qui de illis verſibus idem pronuntiarent. Sed rectè Pierius eos aduerſus talia iudicia ὀϐελίζειν eos volentium ab obeliſmo videtur aſſeruiſſe: qui poſtquam dixit ſe non eſſe neſcium, aliquos eſſe vſque adeo naris ſupramodum emunctæ vt adulterinos hoſce verſus iudicent, quòd à grauitate Virgiliana videantur alieni, Sed valeant (inquit) tam ſeueri critici, quando in exempl. omnibus antiquis ea carmina reperiuntur. Neque hyperbolica ea laſciuia indecora eſt, pręſertim in virgine laudanda: quum toleretur in Apollonio, in Polyphemi agilitate deſcribenda. Hæc ille. Sed miror cur addat, Virgilium ex Apollonio mutuatum eſſe hunc locum, ac non potius ex Homero ſumpſiſſe dicat: quum itidem apud Homerum vtramque laudem habeamus, at verò Apollonius poſteriore fuerit contentus. Dicit enim Homerus,

Αἱ δ᾽ ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
Ἄκρον ἐπ᾽ ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.

Atque huic laudi aliam addens, ſubiungit,

Ἀλλ᾽ ὅτε δὲ σκιρτῷεν ἐπ᾽ εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον.

Extant autem hi verſus Iliadis libro υ. vbi loquitur de equabus regis Erichthonij. Atque ibi annotat Euſtathius, eſſe hyperbolen ἀπαραμύθητον: ſed hoc tamen tutã illam reddere, quòd ex Boreæ ſtirpe hæ equæ eſſent. Apollonius autem non ſolùm poſteriori laude contentus fuit, quemadmodum dixi: ſed nec tam magnam Polyphemo eam tribuit, quàm Homerus & Virgilius dant ſuis. Nam licet illum plantas tinxiſſe neget, de ſummis veſtigiis id negare non audet. Argonauticωn enim libro primo loquens de Polyphemo, quem Neptuno genitum ſcribit,

Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας· ἀλλ᾽ ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο τελεύθῳ.

Sed Homeri ſaltem exemplo illam quoque priorem laudem Camillæ ſuæ dedit Maro: ideóque à grauitate Maroniana alienam illam critici dicere non poterant, quin & Homericæ conſentaneam negarent. Hoc tamẽ eſt diſcriminis, quòd & Homerus & Apollonius loquuntur de re quæ facta erat ab iis de quibus agunt: at Maro videtur potius loqui de re quam Camilla facere potuiſſet, ſi libuiſſet, ob eam qua præſtabat agilitatem, quàm de re quam feciſſet. Hoc autem ſi ita ſit, potius hyperbole ſiue auxeſis hyperbolica dici poteſt apud Maronem eſſe, quàm apud illos: quippe qui illud vt rem geſtam narrant. Scio tamen Euſtathium hyper-

bolen hîc constituere: & quidem ἀπαραμύθητον, vti dixi. Sed quæ ita ὑπερβολικῶς dicuntur, simul etiam ποιητικῶς dici constat: magis tamen quum rem quampiam ab aliquo fieri posse dicunt, quàm quum de facta loquuntur.

Non fuit denique quòd critici eo nomine istum Maronis locum carperent. Verùm si in longa de criticis dissertatione, aliquid & mihi κριτικῶς loqui licet, ingenuè fatebor, mihi non placere quòd volatum cum cursu miscuerit. Quod neque ab Homero neque ab Apollonio factum fuit: ac, si fecissent, à me nihilo magis probaretur. Nam scio quidem, volare, hyperbolicè de illo dici qui cum incredibili quadam celeritate currit: sed hîc propriè loquendum, non autem hyperbolæ verbum istud hyperbolicum admiscendum fuit, ne hoc illi noceret. Nam si illam volare potuisse nobis persuadere potest, quid cætera illa addere attinet? Scimus enim, ea quæ volant, ita superuolare segeti posse vt aristas non attingant. Esto tamen, non alienum hîc locum habere verbum *volaret*, cur statim volatus in cursum mutatur? Nam his,

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, subiungitur, *nec teneras cursu læsisset aristas.*

Quid hac adiectione, nisi ad implendum versum, opus erat? præsertim quum cursum pro volatu accipere oporteat, vt, quod sequitur, cum eo quod præcedit consentiat. Verùm, vt de maiori adiectione, quæ tamen superuacanea esse & ipsa videtur, loquar, hæc verba, *nec teneras cursu læsisset aristas*, quid addere necesse erat? aut certè quid illud *intactæ* in præcedente versu agit? nónne omnino otiosum est?

Scimus enim posse alioqui illud *intactæ* ita resolui, vt dicamus, perinde esse acsi scriptum esset, Illa vel per summa gramina segetis ita volasset, vt illa intacta maneret. Hæc autem summa segetis gramina in sequente versu aristas vocat: qua itidem repetitione quid erat opus? Nam si summa segetis gramina nihil aliud sint quàm aristæ, videbimur nobis audire, Illa per aristas volare potuisset,& tamen aristas non læsisset. Vt igitur nihil lectorem celem, non minus adiectio illorum verborum quæ voci *gramina* subiuncta sunt, me offendit, quàm verbum *volaret*. nam ita fortassis excusari possit (modô non sequatur *cursu*) vt existimetur sonare, Tanquam volans cucurrisset. vel, Ita cucurrisset vt volare videretur. aut, vt volanti similis esset. Dixi porrò, modò nõ sequatur *cursu*: quoniam hoc fuerit alioqui, ei quod maius est subiungere quod est minus. Faciunt igitur hæc vt propemodum in mentem mihi veniat suspicari, Virgilium, hunc locum, sicut alios multos (de quorũ nonnullis à me paulo pòst dicetur) imperfectum reliquisse, voci *gramina* nihil adiicientem: & alium quempiam, posteriorem hunc versum ita expleuisse. Hoc saltem affirmare ausim, suspectos esse nothę παραπληρώσεως nonnullos versus, qui non maiori cum ratione in suspicionem veniunt. Cæterùm, si rem ita se habere credamus, hoc etiam credibile fuerit, eum initio tribus versibus suis illos quatuor Homeri includere voluisse: sed postea, quum parem suorum numerum esse maluisset, hunc secundum ita imperfectum reliquisse. Nisi potius verisimile est, illum expectasse dum ita primũ versum immutaret vt secundi principio ad finiendam sententiam minimè opus esset. Ego certè, quamuis nec ὄναρ præstare quicquam eorum possim quæ Maro vel

ὄναρ præstitisset, tamen quomodo in duos etiam versus quatuor illi Homerici contrahi possent inueni: sed in duos, qui licet ex Virgilij contexti verbis, à quatuor Virgilianis nihilominus longissimè absunt. Verùm, qualescunque sunt, huiusmodi sunt,

Non illa aut segetis teneras læsisset aristas,
Aut medio currens tinxisset in æquore plantas.

Hosce autem duos versus ex quatuor illis faciendi occasionem mihi suspicio illa præbuit: quam non tam κριτικῶς quàm προβληματικῶς proposui. Sed quum illa de re velim ἐπέχειν, at nolim de ista: non esse Virgilianum duo diuersa tempora in duobus eodem pertinentibus verbis iungere: atque ibi præsertim vbi numeri versus eum ad hoc non adigunt. Ideóque *volasset*, quod cum *læsisset* conueniat, scribendum esse contendo.

AD alios autem nonnullos versus vt pergam, ex iis qui nothi à criticis existimati fuerunt: hic, qui ecloga prima extat,

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix,

ex eorum numero est: & quidem à multis eum abesse exemplaribus constat.

Sed vix (vt opinor) satis valida ratione nixi veterum criticorum nonnulli versum hunc pro adulterino habuerunt. At certè nostri temporis critici cæcutire se omnino ostendissent, nisi versum hunc,

Quantum orbis totus gaudet cantante Sileno,

ex sexta ecloga summouissent. Nam multæ superioris temporis editiones & Italicæ & Gallicæ, præsertímque illæ quæ adiunctos commentarios habent, pro duobus versibus hos tres exhibent,

Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea,
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes,

Quantum orbis totus gaudet cantante Sileno.

Tam ineptus autem verſus(qui tamen haud talis autori ſuo videbatur) ad explendũ hunc locum intruſus fuit, quum ei redditio deeſſe videretur. Quid quòd, non *orbis totus*, ſed *omnis mundus* in pleriſque illarum priorum quas dixi editionum legitur?

Verùm vt optimo iure extruſus ille verſus fuit, ita etiam facile fuit extrudendum eſſe iudicare. quod de quibuſdam aliis, qui tamen & ipſi ξενίας διώκοντας, dici itidem non poteſt. Pręſertim verò in quædam hemiſtichia ſuſpicio hæc cadit, vt mox oſtendam. Prius enim de aliis duobus dicam locis, ex quorum vno non quatuor aut quinque, ſed vigintiduo verſus ſummoti à Tucca & Varo dicuntur. Is eſt Æn. libro ſecundo, hoc principium habens,

Iámque adeo ſuper vnus eram, quum limina Veſtæ
Seruantem, & tacitam ſecreta in ſede latentem
Tyndarida aſpicio.

hunc autem finem,

Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas. animúmque expleſſe iuuabit
Vltricis flammæ, & cineres ſatiaſſe meorum.

Non eſſe autem immeritò ſublatos hinc iſtos verſus ſcribit Seruius: quòd turpe ſit viro forti contra fœminam iraſci: & Helenam in domo Priami fuiſſe, contrarium ſit illi rei quæ in ſexto dicitur: quia in Deiphobi domo inuenta eſt, poſtquam ex ſumma arce vocauerat Græcos. Quinetiam addit, hæc Veneris verba, *Non tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacænæ,* oſtendere, verſus hinc eſſe ſublatos. Hæc autem annotat in iſtum libri ſecũdi locum, vbi de Venere Æneæ in conſpectum veniente dicitur, *—dextráque prehenſum Continuit.* Ibi enim ſcribit, Æneam

bit, Æneam à matre esse prehensum ea corporis parte qua Helenæ ictum minabatur, quæ in templo Vestæ stabat ornata. Quibus addit, *Vt enim in primo diximus, aliquos hinc versus constat esse sublatos: nec immeritò.* Atque hîc eam quam dixi rationem affert. Necesse autem habuit lectorem de sublatis versibus admonere, quòd quum versus illos non legeret, mirari posset vnde istud ipse Seruius haberet, Helenam in templo Vestæ stetisse. In principio autem suorum in primum librum commentariorum (quod principium vocare Prolegomena possumus) tradit, Virgilium, scriptis iam Bucolicis & Georgicis, ab Augusto rogatum Æneidem annorum vndecim spatio scripsisse: sed nec emendasse, nec edidisse: ideóque morientem præcepisse incendi. Sed Augustum, ne tantum opus periret, Tuccam & Varum hac lege iussisse emendare, vt superuacanea demerent, nihil tamen adderent. Atque hinc fieri vt semipleni eius versus inueniantur. vt, *Hîc currus fuit.* Hęc quidem Seruius nos decet: at ex Io. Pierio Valeriano discimus (quod satis mirari non possum) duo illa & viginti carmina in nullo eorum quos versauerit veterũ codicum extare: quamuis à nonnullis impressoribus ea publicata essent. Sed Donatum ita ea dissimulasse, vt sententiæ continuationem longè aliter quàm alij acceperit. Ea quippe de causa Æneam dextra prehensum à matre contentum esse, ne ipse sibi (quòd in extrema illa rerum desperatione plerique fecerant) mortem consciceret. Atque hîc ipsamet illius grammatici verba legere est operæpretium, & in iis animaduertere quomodo ita sensum duorum illorum versuum, quorum prioris initium est, *Deseruere omnes defessi:* ita connectere cum sensu horũ voluerit, *Quum mihi se non antè*

oculis tam clara, videndam Obtulit: & sequentium: vt manifestum sit eum conatum esse illorum vigintiduorum versuum detractionem dissimulare. Eo autem afferam illa libentius, quòd in nulla earum huius enarratoris editionum quæ quidem in manus meas venerunt, extare sciam: sicut nec alia quamplurima quę ex eodem afferuntur: adeo vt vix, eiusdem esse, aliquis persuadere sibi possit. *Dixit* (inquit) *omnes deseruisse quod agebant: quum defenderent domum Priami, & id frustra facerent. Ipse quomodo recesserit dicit: ne videatur etiam ipse operis labore fatigatus recessisse.* Deinde veniens ad ipsorum Virgilii verborum paraphrasticam expositioné, eorum inquam quę hi duo versus complectútur,

Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere,
Quum mihi se, non antè oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in lüce refulsit
Alma parens. &, paucis interiectis, *dextráque prehensum Continuit.*

Omnes (inquit) *laborando fessi, & sine aliqua vtilitate certando debiles redditi, tædio aduersarum rerum mori maluerunt: & duplicem voluntariæ mortis occasionem nacti, quum altitudo non deesset, & incendia dominarentur, aut præcipites dederant sese, aut petierant flammas. Ne & ipse alterum facerem, aut (quod supererat tertium) hostis occideret remanentem: mater mea, non, vt facere solebat, dubia, aut incerta, sed manifestior veniens, me ab ipsis inefficacissimis actibus reuocauit.*

Vide quantum laboret hic enarrator, dum de illorum versuum detractione vult tacere: & frustra tamen (meo quidem iudicio) laboret. Sublationem enim illam patefaciunt non tantùm illa Veneris verba, *Non*

tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacænæ, & quæ ſequuntur (licet Seruius huius tantùm loci argumento verſus eſſe ſublatos probet) verumetiam iſta à quibus ſui ſermonis initium ſumit Venus,

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?

Si enim tollantur illi duo & viginti verſus, ex quorum numero ſunt hi duo,

Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas:

quorſum illa Venus dixerit? Alioqui enim referri ea oporteret ad poſtrema iſta,

Obſtupui, ſubiit chari genitoris imago:

& quæ ſequuntur. Atqui totus hic locus dolorem quidem, ſed non qui indomitas iras excitet, teſtatur. Hæc autem quum ita ſint, iterum dico, mirari me ſatis non poſſe quod à Pierio ſcribitur, *Duo illa & viginti carmina quæ detracta eſſe conſtat, in nullo ex iis veteribus codicibus quos verſauimus habentur.* Quomodo enim tanta ſiue Tuccæ & Vari, ſiue aliorum aut criticorum, aut qui eorum fungerentur officio, eſſe potuit autoritas, vt eorum iudicium, potius quàm Virgilij, tot librarii ſequerentur? I nunc, & fidei librariorum, ex quorum manu reliqui pariter ſcriptores ad nos peruenerunt, fidem habe.

Sed ne hîc quidem de iſtis criticis expoſtulandi finem faciam: verùm & hoc addam, hanc audaciam autoritatem eorum apud me non parum imminuere. Audebo autem & de Auguſto queri, qui in tam auguſtum Virgilii opus tantum iuris duorum hominum iudiciis conceſſerit, vt quę ſuperuacua viderentur, poſſent detrahere. Quidni verò, lector, etiam ad Franciſcum Campanum, qui & ipſe de hac tanta tanto poe-

tæ facta iniuria conquestus est, te remittam? Id autem in doctissimo libello fecit quem Quæstionem Virgilianam inscripsit, per quam (vt ille ait, atque vt verum est) diligentissimus poeta negligentiæ, quam Tucca & Varus ac cæteri hactenus obiecerunt, absoluitur. In fine autem epistolæ ad Herculem Gonzagam, electum Mantuanum, (cui suum illud opusculum dicat) hæc scribit, *Tota igitur disputatio super duobus illis & viginti versibus est, qui iam inde ab ipsius poetæ decessu à Tucca (vt aiunt) Varóque ex libro secundo sublati fuerunt: quoniam longè aliter eadem de re Deiphobi ore tradidisse libro sexto videatur. Quos non tantùm nullo pacto deesse, sed omnino adesse posse ac debere, (contra non correctorum ipsorum modò, sed criticorum grammaticorúmque omnium qui fuerunt pòst, doctiorúmque multorum, qui solent interdum hæc animaduertere, opinionem ac iudicium) nos probare tentauimus.* In hoc libello non legendo solùm sed etiam relegendo, vel meo periculo, tempus & operam pone. Inuenies autem à me excusum vnà cum Iani Parrhasii libro De rebus per epistolam quæsitis.

Iidem porro correctores, Tucca & Varus, tanquam criticorum munus obeuntes, quatuor illos versus detraxerunt, à quibus Maro suam Æneidem exorsus erat: illos inquam quorum primus est, *Ille ego qui quondam gracili modulatus auena Carmen.* Ac testatur hoc Seruius quoque. postquam enim dixit, Augustum Tuccæ & Varo permisisse vt superflua demerent, nihil tamen addentes: *Vnde (inquit) & semiplenos eius inuenimus versiculos: vt, Hîc currus fuit. Et aliquos detractos, vt in principio. nam ab armis non incepit: sed sic,*

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen: & egressus syluis, vicina coegi

Vt quamuis auido parerent arua colono,
(Gratum opus agricolis:) at nunc horrentia Martis
Arma virúmque cano.

Deinde illorum duorum & viginti, qui itidem è libro secundo exempti ab illis fuerunt, mentionem facit: atque hîc quidem neque de horum neque de illorum detractione iudicium suum interponit: at suis in librũ secundum commentariis, vbi ad locum illum venit, se Tuccæ & Varo assentiri ostendit, vt antea ostendi. Pierius (libet enim, antequam meam de hac quoque sublatione sententiam proferam, quænam eius sit, declarare: præsertim quum κριτικὸν & eum fuisse censeam, vt quidem propriè vocabulum hoc sonare docui) postquam negauit vllum se antiquum exemplar inuenisse, vbi principium Æneidos à quatuor illis versibus sumeretur: verùm separatim in codicibus aliquot præscriptos haberi dixit: in plerisque verò, iísque antiquioribus, ne inueniri quidem: addit, *Sed fuerint sanè Tuccæ Varíque censura sublati: eo tamen consilio fuerunt à Virgilio præpositi, vt legerentur.* Quinetiam ostendit, eum in aliis etiam operibus idem non incuriosè factitasse: dum in Bucolicis Eclogarum, quas prius edidisset, mentionem facit. vt in Daphnide,

Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit, Cuium pecus? an Melibœi?

Et quum Georgicon libris finem imponeret, Bucolica à se scripta citauit,

Carmina qui lusi pastorum, audáxque iuuenta
Tityre te cecini patulæ sub tegmine fagi.

Et, necui de nomine quoque ambigendum esset, id in carmine curauit inserendum,

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope. Nam, nisi ea fuisset cura, (inquit) satis erat dixisse, *Illo me tempore dulcis alebat Parthenope.* Ita enim in Castigationum Pierii editionibus legitur: quum tamen ille aut scripserit, aut scribere debuerit, *Illo Parthenope me tempore dulcis alebat.* Illis autem adiicit, Pari ratione visum esse huic poetæ tertium hunc ingenii felicissimi conatum duobus illis prioribus adnectere: vt vnum quasi corpus insolubili vinculo colligatum, cum nominis sui æternitate, à furacitatis iniuria, quæ tunc nimium impudenter in aliorum labores grassabatur, incolume seruaretur. Sed, quamuis hæc ita sint, visum esse posteritati, confirmata iam tanti poetæ fama, in Tuccæ Varíque sententiam descendere: adeo vt bona hominum pars *ARMA VIRVMQVE CANO*, Æneidos principium agnoscant: eo potissimum argumento, quòd citaturus Persius Virgilianam Æneida, dixerit, *Arma virum, nónne hoc spumosum.* Quódque Valerius Martialis, *Protinus Italiam concepit, & Arma virúmque.* Quòd Sextus Propertius, *Qui nunc Æneæ Troiani suscitat arma.* Quinetiam multa illos præter hæc ex aliorum poetarum tam Græcorum quàm Latinorum parodia afferre dicit: vt Virgilium in exordiendo non tam veteres imitatum ostendant, quàm alios imitatores habuisse. Quibus hæc adiicit, *Sed enim fuerit ea Persij sententia: intellexerit, illud Æneidos esse principium Valerius Martialis: censuerint eos versus quatuor tollendos Augusti Octauiani temporibus eruditi viri: magis tamen ego vnius Virgilij iudicium æstimarim, quàm criticorum omnium censuras quantumlibet acres.* Estque diligenter animaduertendum quod subiungit, *quum is præsertim, ex eruditorum præceptis, non fumum ex*

fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitauerit. Neque his contentus, adiicit, *Adde quòd versus illi à Persio & Martiale citati, non sunt idonei qui tale esse principium indicent. Sextum verò Propertium quis non videt, dum scriberet, Qui* NVNC *Æneæ Troiani suscitat arma, ad coniunctum illud Virgilianum carmen respexisse: quod iisdem penè verbis est, At* NVNC *horrentia Martis Arma virúmque cano.* Hæc ille: qui verba illa (quæ diligenter esse obseruanda monui) de danda luce ex fumo, & non contrà, ex Horatio sumpsit. is enim in sua Arte poetica, postquam huic poematis principio,

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum,

(de quo quęrit quid dignum hiatu tanto hic promissor ferre possit: additque, fore vt parturiant montes, & mus ridiculus nascatur) opposuit hoc Odysseæ initium,

Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes:

adiecit de hoc poeta (is autem est Homerus) eum non cogitare dare fumum ex fulgore, sed lucem ex fumo. Sed malè vetera scholia locum hunc exponunt, quum *fumum* esse sensum obscurum tradunt: at *fulgorem* & *lucem*, narrationem splendidam. Vt dicat Horatius, bonum poetam res difficiles & obscuras aperire suo carmine, nõ etiam apertam materiam obscurare circumlocutione superflua: quod contrà fieri ab ignaris poetis. Immo verò ad obscuritatem non respicit Horatius quum fumum dicit, nec vicissim ad perspicuitatem, fulgoris siue lucis appellatione: (quum de his non agatur) sed fumum ex fulgore dare illum ait, cuius operis τηλαυγὲς πρόσωπον (vt loquitur Pindarus) ea consequuntur quæ illi fulgori siue splendori minimè respondent, verùm fumus sunt potius quàm fulgor.

Quinetiam exponemus non malè fulgorem res splendidas & magnificas: fumum, res humiles, abiectas, & viles, atque adeo vanas. Quamobrem in eo quod de principio illo à criticis reiecto scribit Pierius, decuisse id poetam illum qui non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitaret, respexisse illum putabimus ad subitum illum ascensum Virgilianorum versuum à rebus non minus quàm verbis tenuibus ad res graues, verbáque pariter grauia, & heroici carminis maiestate digna. Nàm ab hoc quarti versus posteriori hemistichio incipere illum ascensum meritò dixerimus: *at nunc horrentia Martis*. Cuius saltem hemistichii rationem correctores illos habere debuisse dico: quum talis sit hæc antithesis, vt simul præcedentia Virgilij poemata ab hoc separet, & huic magnificentissimum & heroicæ maiestati conuenientissimum det principium. Nec verò deerunt (vt opinor) qui mihi assentientur, suspicanti, Virgilium tale hoc principium fecisse de industria, vt exemptile esse non posset: quum prima ipsius operis verba cum fine illius principii ita cohærerent, vt altera quarti versus pars essent, atque hic ab agricolis incipiens, in Martem desineret. Ac ne hoc quidem crediderim, illum nullam dedita opera agricolarum mentionem fecisse, sed κατὰ τὸ τυχὸν ita præcedentem sententiam clausisse. Poterat enim alioqui in tertio versu ita illam claudere, vt antithesis ab initio quarti versus inciperet: hoc modo (si mihi cum bona lectoris venia, mearum exercitationum lusibus Virgilianum licet hemistichium aptare)

Nunc castra anteferens aruis, horrentia Martis
Arma virúmque cano. &c.

vt verba hæc, *Nunc castra anteferens aruis*, illorum loco essent,

Gratum opus agricolis, at nunc.

Poterat hoc etiam vel ſimili modo,

Nunc lituo mutans calamos, horrentia Martis
Arma virúmque cano.

Quidni verò & ita?

Carmine Virgilius mutato horrentia Martis
Arma virúmque cano.

Tantum abeſt enim vt propter præcedentem vocem *carmen*, hîc debeat eadem aures offendere, vbi ſcripſi, *carmine Virgilius mutato*: vt contrà repetitio hæc non parum gratiæ habere videatur. Nec verò, mutationem carminis profiteri, ab hoc alienum loco eſt, quum prius illud carmen gracili auena ſe modulatum eſſe dicat. Quod autem nomen ſuum inſerentem illum facio, ea in re exemplum illius qui paulo antè allatus fuit verſus, ſequor. Addam & hanc formam,

Maius opus moueo. cantare horrentia Martis
Arma, virúmque, iuuat, Troiæ qui primus ab oris Ital.

Vbi verbum *iuuat* longius traiectum non eſt quàm poetarum conſuetudo permittat. Siquis tamen pauca immutare malit, ita ſcribat,

Maius opus moueo. nunc canto horrentia Martis
Arma, virúmque illum Troiæ qui primus ab oris Ital.

Sed quoniam hîc ponebam *virúmque illum*, & ſequitur tamen, *multum ille & terris iactatus & alto*, hîc *ille* in *antè* mutabam. Quinetiam vlterius exercitationem illam produxi: & fingere mihi cœpi verſum qui principium eſſet Æneidis, (nullo alio eum præcedente) & eadem illa Virgilij verba *horrentia Martis* includeret. Primùm quidem ita,

Muſarum nunc imperiis horrentia Martis
Arma virúmque cano.

Deinde hoc pacto,

Nunc animus cantare mihi eſt horrentia Martis
Arma, virúmque illum, Troiæ qui pr.&c.

Poſtremò ſic, abſque particula *nunc*: (quam tamen poſiturus fuiſſe videtur Virgilius, vel non præcedente illa de qua diximus antitheſi, aliáve ſimili)

Me nouus ardor agit cantare horrentia Martis
Arma, virúmque illum, Tr.

Non his tamen modis variaturum fuiſſe Maronem hoc principium, ſi ita viſum fuiſſet, ſed aliis, & multo pluribus, ac tantum ſe dignis quantum hi indigni ſunt, & ipſe dico, & mecum dicturos omnes ſcio. At quum nihilominus principium illud eo quem habemus modo potius quàm alio vllo ſcribendum cenſuiſſet, ego neque Tuccæ & Vari neque aliorum criticorum iis aſſentientium iudicio aſſentiri poſſum.

Sed hoc quoque (antequam hinc diſcedam) in quæſtionem vocare libet: an quatuor illi verſus, vel potius tres illi verſus, & prius quarti hemiſtichium (nam de poſteriori nulla huiuſmodi dubitatio relinquitur) principium Æneidis appellari poſſint; & quo alioqui titulo inſigniri debeant. Ad me quidem certè quod attinet, ad prius illud quod reſpondeam in promptu habeo: ſed quod ad poſterius, non item. Nam principium eſſe & nego & pernego, quum nihil ad Æneidem pertineant: ſed quo alio ornari titulo debeant, ipſe quoque dubito: niſi fortè Præludium aliquis nominari poſſe dicat.

Ad illam venio quorundam verſuum ἀναπλήρωσιν, quam critici tanquam notham reiecerunt. Quum enim conſtet Virgilium imperfectos reliquiſſe multos verſus, fuerunt qui plures etiam quàm quos videmus,

tales ab eo relictos existimauerint, sed illos à nonnullis iam olim fuisse expletos. Quôd si alibi vsquam, hîc certè acre iudicium requiritur, ad discernenda quę spuria sunt à germanis. Nam & vetera exemplaria suspicionem alicubi augent, in quibus pars postrema versus quæ aliunde etiam suspecta esse posset, desideratur. Alicubi tamen nonnulla tam apposite versum claudunt, vt, licet in quibusdam codicibus desiderentur, γνήσια habenda videantur. Exemplum huius rei habemus in principio libri Æneidos sexti,

— tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

nam duo illa verba, *Icare haberes*, à codicibus aliquot abesse testatur Pierius: sed suum interponens (quo valebat) iudicium, Siue Virgilius (inquit) siue alius quispiam versum absoluerit, nihil mihi videtur eo fine dici potuisse accommodatius. Hæc ille: sed quantumuis aliquid loco sit accommodatum, eleganter etiam, & (si res postulet) grauiter dictum: multum tamen autoritatis amittit, quum ab alio quàm à Virgilio profectum, idcóque minimè γνήσιον censetur.

At verò de hoc loco, qui est Æneid. lib III,

Quid puer Ascanius? superátne & vescitur aura?
Quem tibi iam Troia.

scribit, versum hunc imperfectum, in antiquis aliquot codicibus absolutum legi, sed candore haudquaquam Virgiliano. In nonnullis enim ita scriptum esse,

Quem tibi iam Troia obsessa est enixa Creüsa.

in aliquot aliis ita legi,

Quem tibi iam Troia peperit fumante Creüsa.

Nec verò contentus eo quod dixerat, versum hunc minimè Virgiliano candore esse absolutum: etiam ridi-

culum esse addit vtrumque horum quæ ad absoluendum versum fuerunt adiecta: simul verò admonet, plurimùm aliena manu tale supplementum esse additum: atque id cerni posse in Mediceo codice, & aliquot aliis. Seruium quidem certè imperfectum versum illum suis in exemplaribus inuenisse constat: quum hemistichiũ esse dicat, nec in sensu plenum. esse autem & alia duo talia. *Aliqua hemistichia in Virgilio* (inquit Seruius) *tam sunt sensu immutata* (sed pro *immutata* scribo *imminuta*, vt in sequentibus docebo) ostendit autem hoc hemistichium, *Concessere deûm*. Verùm, vt de iis quæ postea de hoc hemistichio ab eodem scribuntur, ferri iudicium possit, altius hic repetatur locus necesse est. Hęc igitur sunt fluuii Tiberini verba ad Æneam, cui in somnis apparebat,

O sate gente deûm, Troianam ex hostibus vrbem
Qui reuehis nobis, æternáque Pergama seruas:
Expectate solo Laurenti, aruísque Latinis.
Hîc tibi certa domus, certi (ne absiste) penates.
Neu belli terrere minis. tumor omnis & iræ
Concessere deûm.
Iámque tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit.

In hunc igitur locum postquam annotauit Seruius, aliqua esse apud Virgilium hemistichia tam sensu imminuta (vt apud eum scribendum esse contendo) quàm verbis: & hoc ipsum hemistichium in exemplum attulit: rationem addit. Nos enim intelligere non posse, quieuisse omnem tumorem & iram deorum, quum & adhuc inimica sit Iuno, & ad Troianorum perniciẽ addantur alia numina: vt Furia, vt Iuturna. *Vnde* (inquit)

mirè quidam conclusit hunc versum : dicens,

Conceßere deûm profugis noua mœnia Teucris.

Quod supplementum examinans, addit, Si quidem ita accipiatur, vt dicat Teucros constituere ciuitatem, nec ea numina quæ irata sunt, vetare : nihil fore contrarium. nam & ipsam Iunonem hoc non negare, *non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis, Atque immota manet fatis Lauinia coniux.* Atque hunc sensum, etiamsi detrahatur subauditio, posse accipi à superioribus : vt sit, *tumor omnis & iræ Concessere deûm, Vt Hîc tibi certa domus, certi penates.* Hactenus ille. cuius in hac posteriori parte mentem lectori minus in his versato conabor explicare, simúlque meum iudicium interponam. Subauditionem igitur ab eo vocari puto illam πρόσπλήρωσιν, supplementum illud, *profugis noua mœnia Teucris.* & hoc sibi velle, nos hęc ipsa posse ex superioribus intelligere: dummodo non aliter illa poetę verba accipiamus quàm si verba ista, *Hîc tibi certa, domus certi penates,* non præcederent, sed sequerentur. Quinetiam videmus, particulam *vt* ab illo addi : cui addenda esset & vocula *sit.* hoc modo, *Tumor omnis & iræ deûm concessere vt sit tibi hîc certa domus, certi penates.* Perinde acsi diceret, Non tanta est deorum ira, non adeo efferbuit, quin hoc tibi ab illa concessum sit. Sed ego tamen Seruio assentiri hîc non possum, cùm aliis de causis, tum verò quòd nimis violentum videatur, illa quæ inter præcedentia leguntur, ad sequentia reuocare. At de illo versus supplemento assensorem me habet. Aptissimè enim cum illo præcedenti sermone, de certa domo & *certis* penatibus, conueniunt ista verba, *profugis noua mœnia Teucris.* Ac eundem quidem sensum in meo supplemento olim sequutus eram, quum illud quod à Ser-

uio affertur, nondum vidissem. Hæc enim ad explendũ versum addideram, *sedes habitare petitas.* Quinetiã alteram istam παρὰ πλήρωσιν excogitaueram, *Laurentia mœnia fessis.* Sed quum idem sit trium istorum versuum sensus,

Concessere deûm profugis noua mœnia Teucris:

&,

Concessere deûm sedes habitare petitas:

&,

Concessere deûm Laurentia mœnia fessis,

illam tamen primã παρὰ πλήρωσιν postquam apud Seruium vidi, duabus meis longè anteferre cœpi. At verò Tiberius Donatus, nullius supplementi mentionem faciens, illum qui se prima fronte offert sensum sequitur: non animaduertens quod à Seruio rectè animaduersum est, esse quæ huic sententiæ apertè repugnẽt. Hæc enim verba, *tumor omnis & iræ Cõcessere deûm*, ita exponit (quantum quidẽ vulgatis editionibus adhiberi fides potest) *in lenitatẽ plenissimã versum est quod animorum tumoribus ferebant numina, & in omnẽ placiditatẽ illorum durata dudum iracũdia commutata est: perindéque cessit felicitati tuæ quidquid solebat esse contrariũ.* Vbi *proindéque* scribendum est, aut *perinde* pro *proinde* accipiẽdum: vt certè quidam vtrumque illud habere vsum existimant.

Sed & illo loco, *quod animorũ tumoribus ferebãt numina,* mendum subesse & *ferebant* in *fouebant* mutari debere arbitror. Taceo de *timoribus* quod illic scriptum est: quum manifestus sit ille error. Sed me admonent hæ emẽdationes vt de illo etiam Seruij loco à me correcto aliquid (sicut promisi) dicam. Quũ igitur ita scriptũ sit apud Seruium, *Aliqua hemistichia in Virgilio tam sunt sensu immutata quàm verbis*, ego *imminuta* substituẽdum esse dico. Ac meam emendationem vel ex alio eiusdem

loco confirmari posse existimo: hoc videlicet, in librũ tertium, *Hemistichium nec in sensu plenum*. Quibus addit, *sunt autem duo talia. Vt hoc, Concessere deûm. Quem quidam ita compleuit,——profugis noua mœnia Teucris.* Citat autem in illud libri tertij hemistichium, *Quem tibi iam Troia.* quod sequitur versum illum, *Quid puer Ascanius? superátne & vescitur aura?* Atque hoc animaduertendum est, quum illud alterum hemistichium negat itidem in sensu plenum esse, intelligere verbum *Concessere* eo quo dictum est sensu, non autem pro Abscessere. alioqui enim perfecta esset sententia.

Critici, quorum plerique vt acri iudicio, ita etiam suspicaci ingenio fuerunt, idem & de quibusdam aliis versibus suspicati sunt: eos videlicet non ab ipso Virgilio, sed ab alio quopiam fuisse absolutos: adeo vt nec Polyphemo quam apud Virgilium habebat fistulam relinquere voluerint. Nam quum legamus apud Maronem Æneidos lib. III, de Polyphemo,

Lanigeræ comitantur oues: ea sola voluptas:
Solaménque mali, de collo fistula pendet.

quum (inquam) quæ passim occurrunt editiones hanc lectionem exhibeant, fuerunt tamen qui hæc verba, *de collo fistula pendet*, pro suppositititiis habuerint. Quinetiã totum versum inter adulterinos quidam retulerunt. Sed Seruius, sicut & Tiberius Donatus, prius saltẽ hemistichium apertè agnoscit. Nã Seruius in hæc verba, *Solaménq; mali*, annotat, hinc esse illud Quintiliani, *Magnũ cæcitatis solatium est habere rem videntium.* Tib. autẽ Donatus (vt quidẽ eius verba ex veteribus libris afferũtur,) *Voluptatẽ ex animalibus habuit* (inquit) *quũ videret: cæcatus verò, pecorũ suorũ cõmodo orbitatẽ proprij luminis solabatur.* Nulla autẽ vel ab hoc vel ab illo fistulæ mentio.

Quòd si meum & hîc interponere iudicium licet, vix vlla est vllius versus παρεμπλήρωσις de qua criticis assentiri potius velim. Aut enim valde fallor, aut non satis grauitati Virgilianę conuenit illa de fistula adiectio, bucolico carmine potius digna. Ac persuadere mihi vix possum, eos qui admittere locum illum non potuerunt, cuius initium est, *Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina* (vt à Virgiliana grauitate alienum) illam fistulæ mentionem admisisse. Ad me quidem certè quod attinet, tam faciles fuisse aio qui huic dare locum voluerunt, quàm difficiles qui illis quatuor versibus denegarunt.

Alii sunt versus qui ex hemistichiis facti eadem adiectionis audacia existimantur: verùm mihi nunc vltra Polyphemi fistulam pergere in animo non est: sed tantùm hoc addere, non rectè à quibusdam interpungi hunc locum, hoc modo,

Lanigeræ comitantur oues: ea sola voluptas,
Solaménque mali, de collo fistula pendet.

perinde nimirum acsi vtrumque de fistula diceretur. quod nos credere non permittit illud pronomen *ea*. Potius enim Maro scripsisset, si ad fistulam referre vtrumque voluisset, — *& sola voluptas Sol. m. de collo fist. pendet.*

QVVM autem dixerim antea, criticorum partes fuisse etiam in librariorum fidem inquirere, & locorum in quibus suspectam illam haberent, emendationem (id est, ius eos emendandi) sibi vindicasse: insuper de iis quæ alii aliter scripta reliquissent, ferre iudicium voluisse, vtra ex duabus lectionibus, vel quæ ex pluribus γνησία esset scriptura, pronuntiãdo: quum (inquam) hæc in superioribus proposuerim, non immeritò eorum

rum exempla lector à me hîc expectabit. Sed quoniam non pauca exhibere illi poteſt Schediaſma meũ de delectu in diuerſis apud Virgilium lectionibus adhibendo: (quod Virgilii poſteriori editioni meæ ſubiunxi) illuc eum remittendum cenſui. Videbit certè non ſemper ab illis eſſe ſeruatam quam tamen ſeruandum propono ibi regulam: vt vbique conſideremus, num quod in aliqua lectione eſt incommodi, aliquo maiore commodo ſiue excuſetur, ſiue compenſetur.

Quum tamen ne hîc quidem de illis omnino tacere ſtatuerim, ab hoc quod primum in mentem venit, initium ſumam: quaſdam lectiones ſiue ſcripturas (vt & Græci grammatici γραφὰς dicunt) vna tantùm litera, & multum tamen, quod ad ſenſum attinet, inter ſe differre. Hanc autem paruam ſimul & magnam ſcripturæ diuerſitatem habemus in quodam verſu cuius paulo antè facta fuit mentio. Nam vbi legebam, *tumor omnis & iræ Conceſſere deûm*, ſciendum eſt, quædam exemplaria *timor* habere, & eſſe qui ea ſequãtur. Et tamen vix vſquam aptiorem quàm hîc locum habere *tumor* poteſt. Quo magis miror, Pierio non diſplicuiſſe *timor*: præſertim quum in omnibus quotquot habuerit antiquis codicibus, *tumor* ſcriptum fuiſſe fateatur: & addat, poetam, ſi ita ſcripſit, phyſicè hoc dixiſſe: quũ effuſa bile iecur intumeſcat, & inde oriatur excandeſcẽtia. Vnde dixiſſe Horatium, — *vę meũ Feruens difficili bile tumet iecur*: atq; adeo ipſum Virgilium alibi, *tumida ex ira tunc corda reſidunt*. Et Ouidium de Meleagro, *tumida frendens Mauortius ira*. Quibus certè adiici exempla queunt non pauca, & quidem ex Græcis etiam ſcriptoribus: quos imitari hîc quoque voluiſſe Latinos veriſimile eſt. Sed meus Theſaurus Græcę lin-

guæ his te exemplis instructum reddet. Nam ibi inuenies in verbo οἰδαίνω siue οἰδάω (licet illud multo sit vsitatius) hunc versum Homeri, ex Iliad libro ι, Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνων Μνήσομαι. quæ Cicero ita vertit, Córque meum penitus turgescit tristibus iris. Itidémque οἰδαίνω in illo ipso significatu quem οἰδάνομαι habere in illo Homeri loco videmus. Sed & οἰδαίνω actiua significatione ibidem habes, ex eodem poeta, pro Tumefacio: id est, Facio vt aliquis ira intumescat. Denique & compositum διοιδαίνω, ex Herodoto, neutrius seu neutralis verbi vsum habens, pro eo quod est Intumesco ira, seu Turgesco ira. Quorum exempla ibi videnda tibi relinquo: potissimúmque eum locum vbi οἰδαίνειν τὰ πράγματα ita dictum mihi videri aio vt à Virgilio, *tumescere bella*. Hæc autem quum ita sint, quis dubitat quin *tumor* scribendum potius fuerit? & quidem quum etiam aptè cum illo nomine *iræ* iungatur, horum auté vtrumque rei de qua agitur optimè quadret. Sed tamé vir ille qui multis in locis excellentis critici laudem meruit, ratione quæ parui momenti est adductus, alteram lectionem sibi non displicere profitetur. Non aliud enim ad eam retinédam eum mouet, quàm quòd Iuno, ea tot quæ euentura erant metuens, veterísque memor belli, tantas exciuerat turbas. Atqui ego vel hanc aduersus id quod affert sufficere obiectionem puto, quòd non dicit Virgilius *deæ*, sed *deûm*. Vide lector quàm digna veterano (vt ita dicam) critico interdum sit res, ex duabus scripturis quæ vnica alioqui litera differunt, eam quæ conueniat loco eligere.

Videmus porrò, ad nonnullos eorum locorum in quibus hanc vocum similitudinem exemplaria habent, non vnum tantùm eruditum virum, sed plerosque non

ſatis iudicii attuliſſe. Atque hoc videre eſt in iſto libri Æneidos IIII,

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis
Túque puérque tuus, magnum & memorabile numen,
Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.

Verum enim hîc inueniri quod dixi, & ipſum videlicet & cum eo pleroſque eruditos viros deceptos fuiſſe ἐν τῷ κρίνειν: (quum nimirum διὰ τοῦ κρίνειν veram lectioné à falſa oporteret διακρίνειν) apparet ex iis quæ Pierius ſcribit. Fatetur enim eſſe codices aliquot manuſcriptos, in quibus *nomen* legatur: quod etiam vulgata quædam exemplaria receperint: ſed addit, *numen* eruditis placere, quod etiam in Mediceo prius ſcriptum fuerat. At ecce nihilominus duo quæ horum eruditorum (quibus ille aſſentitur) ſententiam refellent. Vnum, quòd verbum *refertis* vtrique membro commune, cum Latinitatis tamen venia iungi poſteriori non poſſit. Nam illud quidem *Refertis egregiam laudem & ampla ſpolia*, Latiniſſimè dici conſtat: at verò *Refertis magnum & memorabile numen*, an quiſquã, qui ſe Latinè loqui profiteatur, vel muſſare audeat? Alterum quod eorum ſententiam refutat, eſt hoc, quòd alibi itidem *memorabile nomen* eo ſenſu dicat Virgilius,

—nanque etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt.

Non ignoro interim, ad priorem illam obiectionem quod attinet, ita quempiam ei reſponſurum, vt neceſſe neget eſſe, hoc quoque poſterius membrum verbo *refertis* iungere: quòd extrinſecus poſſe ὑπακούεσθαι dicat verbum *eſt* & pronomen *veſtrum*: vt intelligamus, *Magnum & memorabile numen veſtrum eſt*. (nam conueniret quidem & verbum *habetis*: ſed ego talis ſubauditionis

exemplũ desidero) ideóque hîc impeditum esse quodammodo orationis cursum, at non illic, ἀνταποκρίνομαι.

Ex hoc διαφόρων γραφῶν genere quædam sunt à Donato animaduersæ, quæ latuisse Seruium videntur. vt Æneid. XI, de Arunte & Camilla,

Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa, pedémque ex hoste reportat,
Hac iuuenis furtim celeres detorquet habenas:
Hos aditus, iámque hos aditus, omnémque pererrat
Vndiq; circuitum, & certam quatit improbus hastam.

In penultimi enim versus posteriori loco Donatus legit *abitus*. quãuis hæc lectio ex vno tantùm codice à Pierio afferatur: qui ea diligentiam eius ostendi ait, vt non prius adire velit, quàm præuiderit qua sit etiam abeundum. Vbi quod diligentiam vocat, videtur potius debuisse prudentiam appellare. Addit verò, & Donatum *abitus* agnoscere: sed de Camilla dictum intelligere: quippe qui scribat, *Quacunque abibat, vel quacunque habebat transitum, & quoscunque illa circuitus obibat, obseruabat iste, opperiens causam qua posset circumuenire fortiorem.* At Seruius hunc in versum nihil annotat, minimè (opinor) si vocem *abitus* in posteriori eius parte inuenisset, eius expositionem prætermissurus. Neque tamen ita exposuisset vt Donatus, meo quidem iudicio: sed alteri illi sensui acquieuisset: nisi quòd non diligentiam sed prudentiam ostendi ea voce dixisset.

In quibusdam verò locis, sensu eodem manente, videndum est tantummodo vtrum vocabulum aut magis proprium aut significantius sit. vt Æneid. VIII, de Caco silicem concutiente, & impellente, quæ speluncæ dorso insurgebat,

— impulſu quo maximus inſonat æther:
quum in aliis codicibus ſcriptum ſit *intonat.*

In prima autem eiuſdem Caci mentione, vbi eius ſpelunca deſcribitur, quum exemplaria quædam habeant, *facies quam dira tenebat*, in aliis eſt *tegebat:* & licet Pierius receptum magis eſſe dicat *tenebat*, mihi tamen magis placet *tegebat.*

Nonnullę autem ſunt ſcripturę huius generis, in quibus vnius tantùm literæ mutatio magnam nouitatem affert, non quod ad ſententiam ſed quod ad vocem attinet. Cuius rei luculentum exemplum in iſto hemiſtichio habemus, quod extat circa finem libri tertij Æneidos, de excæcatione Polyphemi,

— & telo lumen terebramus acuto.

Affertur enim & alia lectio,

— & telo lumen tenebramus acuto.

Vbi quis ex his duabus lectionibus priorem eligendam eſſe, ob illius verbi inſolentiá, ſtatim nõ pronuntiet? At Tib. Donatus tamen lectionem hanc ſequitur. Nam hæc eius afferuntur verba, *Quod ait, Acuto telo tenebramus, celeritatem facti voluit demonſtrare. In hoc enim conſilium conſiſtebat effectus, ne mora facientium & dolor vulneris quamuis grauiter dormientem excitarẽt. Hoc loco nonnulli terebramus tradũt: ſed quum terebratio habeat moram, quæ fuit inimica facientibus, melius eſt vt telo acuto, vno ictu videatur cæcatus.* Hæc ille: in quibus ratione tueri vult lectionem quæ ridicula propemodum videri poſſet, niſi Seruius mentionem eius faceret. Sed ita facit tamen vt ſe probare non oſtendat. In illa enim verba, *Vnà vndique circum Fundimur*, annotat, Secũdum Homerũ, qui dicit alios eum tenuiſſe, alios obcęcaſſe oculum acuto fuſte obuſto. Nam ſecundum iſtum ſenſum

multi *terebramus* accipiunt: alii *tenebramus* legunt. Mirum est autem Seruium (nam de Donato non idem dixerim) loci Homerici mentionem non facere, & vel eius autoritate alteram illam lectionem non reiicere. Nisi fortè illa verba, (vt alia multis in locis multa) interciderunt. A Pierio certè Homeri versus rectè nouæ illi lectioni opponuntur:

—ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἀερθεὶς
Δίνεον, ὡς ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήϊον ἀνὴρ
Τρυπάνῳ, οἱ δέ τ' ἔνερθεν ὑποσσείουσιν ἱμάντι,
Ἁψάμενοι ἑκάτερθε.

In quibus (inquit) non tantùm ait terebratum lumen conto acuto vstulatóque, ex igne statim in oculum adacto, Vlysse superne calcante, loro inferne aduoluto, cuius capita socii alternantes vtrinque traherent: (quod sine longa mora fieri non potuit) verumetiam artificis qui nauale aliquod lignum terebra perforet, similitudine vtitur.

Hæc ille: ac rectè quidem illi lectioni Donati istum Homeri locum, quem constat Virgilium sequi, opponit: sed malè (ne cum illo fallatur etiam lector) ad Vlyssis socios ea refert quæ de nauis fabricatoribus ab Homero dicuntur. Putat enim verba illa, οἱ δέ τ' ἔνερθεν ὑποσσείουσιν ἱμάντι, Ἁψάμενοι ἑκάτερθε, de sociis Vlyssis esse intelligenda, quum de iis dicantur qui lignum illud terebrãtem adiuuant. Hoc autem in errorem eum induxit, quòd ea quæ comparationi adhærent, & eius pars sunt, ab ea separauit. nam hæc sunt vltima eius verba, τὸ δὲ τρέχει ἐμμενὲς αἰεί. Atque hæc sequitur ista redditio, ὣς τοῦ ἐν ὀφθαλμῷ πυριήκεα μοχλὸν ἑλόντες Δινέομεν. Fecit autem hic error vt alium in ipsius poetæ verbis admitteret, omittẽdo particulam δ' post ὡς. Legit enim, Δίνεον, ὡς ὅτε

πὶς φ. &c. quum post Δἵνεον ponenda sit stigme τελεία, & scribendum deinde, ὡς δ᾽ ὅτε τὶς φ. Quid? nihílne Vlyssis socii eum in illo præclaro facinore adiuuarunt? Immo verò: sed hoc in præcedentibus dictum fuit, Οἱ μὲν μοχλὸν ἑλόντες ἐλάϊνον ὀξὺν ἐπ᾽ ἄκρῳ Ὀφθαλμῷ ἐνέρεισαν. quibus subiunguntur illa, ἐγὼ δ᾽ ἐφύπερθεν ἀερθεὶς Δἵνεον.

Verùm, vt ad illud diuersarum lectionum genus reuertar, in quibus vnica litera totam diuersitatem facit, sunt etiam nonnullæ quæ quum à plerisque contemnantur, aut etiam reiiciantur, à lectore quem natura κριτικὸν reddiderit examinatæ, non parui ponderis esse iudicabuntur. Ac dignam profectò quæ in hoc numero ponatur, censeo eam quæ in hunc versum affertur,

At furiis Caci mens effera.

hîc enim pro *furiis* nobis exhibetur veterum librariorum manu exaratum *furis*. quod vocabulum vnica & ipsum litera differre ab altero dici potest: quum, si vnã ei addas, omnino idem futurum sit. Sed quis prima fronte illud *furiis* huic *furis* non anteferat? At testatur tamen Pierius, exemplaria pleraq; vetusta habere *furis*. Addítque, hoc vocabulo longè maximam exprimi ignominiam. Neque enim ignorasse Virgilium quàm seuerè olim apud veteres furtum puniri solitum esset.

IBI verò præsertim acre alicuius critici iudicium requiritur, vbi duæ lectiones propemodum contrariæ, aut certè omnino tales, se offerunt. Ideóque istud de hoc posse dici loco videtur, Æneid. XI, vbi Aunus Camillam his verbis compellat,

— quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus æquo
Mecum crede solo: pugnæque accinge pedestri:

Iam nosces ventosa ferat cui gloria fraudem.

Ex aliis enim exemplaribus non *fraudem* sed *laudem* habemus. Ac Seruius vbi hæc verba nobis proposuit, — *ventosa ferat cui gloria fraudem*, ista scribit, *Hæc est vera & antiqua lectio. vt sit sensus, Pedes congredere: iam cognosces cui inanis iactantia afferat pœnam. Nam fraudem veteres pœnam vocabant: vt etiam in antiquo cognoscitur iure.* Contrà autem Tiberius Donatus eos sequitur codices qui *laudem* nobis exhibent: locum hunc ita παραφράζων, *Experiundo cognosces quis debeat iure meritóque laudari.* Quæ tam diuersæ duorum grammaticorum sententiæ faciunt vt Pierius hæreat, & vtra potior sit, aliorum arbitrio relinquat. Ego illum hęsisse hîc miror, ac non considerasse, primùm quidem non parui ponderis esse nobis debere Seruij de antiquitate huius lectionis testimonium: deinde verò ex hac idoneum sensum posse statim elici, quum alteram nihil aliud excuset quàm epithetum *ventosa*. quòd alioqui gloria laudé ferre non dicatur, sicut nec laus gloriam. Ac ne de hoc quidem assentiri illi possum, quòd non tantùm hîc Seruii & Tib. Donati (quos opinatissimos grammaticos vocat) sed alibi quoque ita mentionem facit, vt eodem loco se illos habere, eodémque honore dignari, ostendat. Quamuis enim publicatis Seruii commentariis longè præstent alii qui & magis integri & multo pleniores sunt (qui ante aliquot annos officinæ meæ oblati fuerunt) tamen inter illa quæ apud Seruium in istis etiam editionibus typographicis & illa quæ apud Tib. Donatum in veteribus quoque libris leguntur, tantum propemodum quantum inter χρύσεα & χάλκεα apud Homerum arma interest. Vel huius certè loci quàm frigida est eius expositio! *Experiundo* (inquit) *cognosces quis*

quis debeat iure meritóque laudari. Immo verò cum verbis hisce aut similibus conueniret,

Iam nosces cuínam sint præmia debita laudis.

Sed quamuis Pierius illa tantùm verba afferat Donati locum illum exponentis, in vulgatis tamen editionibus hæc adiecta illis sunt, *& quis per inanem iactantiam velit esse quod non est.* At, meo iudicio, si quis ex illa lectione sensus eliciendus est, hic demũ ille est, (quoniam non dicitur simpliciter, *cui gloria ferat laudem*: sed, *ventosa gloria*) Experieris quis laudem ex ventosa gloriatione reportet. Vel, Quis sit cui soleat cedere laudi ventosa gloriatio & iactantia. Vel, Cui suæ ventosæ gloriationis laudabilis sit exitus. Magis tamen mihi, volenti *laudem* scribere, placeret *quam*: hoc modo, — *ventosa ferat quam gloria laudem.* id est, Quæ laus, siue quod laudis genus ventosam istam gloriationem soleat comitari. vel, soleat consequi. At verò alteram scripturam (quam amplectendam censeo) quæ *fraudem* non *laudem* nobis exhibet, si παραφράζειν oportet, aptè hoc factum iri puto hoc modo, Experieris iam cui perniciosum sit ita ventosè & inaniter gloriari. vel, cui perniciosum sit, ita magnificè de se sentire, atque id ventosa & gloriabunda iactantia præ se ferre.

SED à diuersis veterum librorum lectionibus, quarum delectum habere criticorum erat, ad eas veniendum esset, quarum ipsimet critici, aut alii, criticorũ autoritatem & ius sibi vindicantes (ac præsertim grammatici) autores fuerunt: nisi hac de re meum illud Schediasma meæ editioni Virgilianæ subiunctum satisfacere tibi posset. Ibi enim quid Vrbanus quidam, quid Carminius & Probus hac in parte ausi sint, declaratur.

Nominatim verò epitheta alicubi quoſdam mutare auſos eſſe, memini me legere. Variare certè & in illis exemplaria videmus: ſed ita vt alicubi parui referat vtrum è duobus vel quod è pluribus eligas: alibi cõtrá. Parui enim refert in hoc verſu, libri vndecimi Æneidos,

Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cycni,

retineáſne epithetum iſtud *loquacia* (quod & Seruius agnoſcit) an in *ſonantia*, an etiam in *liquentia* mutes: (quamuis ſit cur hæc, ac præſertim iſtud poſtremum minus probare quàm illud debeamus) at verò Æneid. IIII, non immeritò fortaſſe dubitetur an *legiferæ Cereri*, an *frugiferæ* ſcribendum ſit. quoniam alicui loco hoc, alicui illud melius poſſe conuenire certum eſt. Ideóque in talibus etiam exemplarium diſſidiis materiam ſibi paratam habet criticus.

Neque verò & locos difficiles, præſertímque ambiguos, interpungere, ſuarum etiam partium critici nõ cenſebant: quum Tucca & Varus huius interpunctionis autores citentur,

Quam mihi quum dederis cumulatam, morte relinquam.

De qua tamen interpunctione nunquam me ſibi aſſenſorem habebunt. Nec verò criticos hanc quoque prouinciam cepiſſe mirum eſt, quum, vt mala interpunctio locum aliquem omnino deprauare poteſt, quod ad ſenſum attinet, ita etiam bona ſubſtituta eum ſuæ integritati reſtituat: atque vt ex mala multæ lites oriũtur, ſic etiam à bona ei ſuccedente componantur. Sed nonnũquam ipſi etiam Seruio (nam de Donato minus miror) contigit, locos qui rectè ſe habebant, vulgarem interpunctionem ſequendo, ea mutata corrumpere. Cuius rei inſigne habemus exemplum Æneidos libro VI. Nam quum hæc ſit vulgaris (vt ita dicam) lectio,

—neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade: nec me deus æquore mersit:

Seruius locum hunc ita distinctum vult legi,

—neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me. deus æquore mersit.

Scribit enim. NEC ME: *hîc distinguendum: ne sit contrarium. nam eum somnus deiecit. Quanquam alij frustra dicant quòd credebat Phorbantem: quum extinctis diuinandi sit concessa licentia: & nunc iam sciat somnum fuisse.* Vbi quum dicit, *ne sit contrarium*, intelligit, Ne contraria veritati sit responsio. Subiungit enim, *Nam eum somnus deiecit.* perinde acsi, quum è numero deorum sit Somnus, non potuerit verè dicere Palinurus, *— nec me deus æquore mersit.* Atqui considerandum erat quod ipse Palinurus addit, *Nanque gubernaclum multa vi forte reuulsum, Cui d. h. c. cursúsque regebam, Præcipitans traxi mecum.* Ita enim loquens, ostendit se aliud deum, aliud casum esse existimare. quem casum indicat vocula *forte.* Casum autem à deo, siue ab eo quod decreto diuino factum sit, & quod Homerus οὐκ ἀθεεὶ contigisse diceret, distingui ab hoc poeta & à quibusdam aliis, nec non à Cicerone, quis inficiabitur? Cognoui autem, & illum Virgilianæ quæstionis iudicem, cuius antea fuit à me facta mentio, mihi assentiri: scribentem, insulsam & ineptam Palinuri responsionem futuram fuisse, si Æneæ interroganti quis deorum eum sibi & suis eripuisset, respondisset, Eripuit deus. Non aliter quàm si interroganti, Quis homo te percussit? respondeatur, Homo. ac non potius, Socrates, vel Alcibiades, vel Callias. Aut certè hoc responsum detur, Non homo, sed asinus. Sic enim & solœcismus fieri existimatur, quum responsum ab interrogante dissentit. Quinetiam

falli Seruium ostendit in eo quod putat, omnibus qui defuncti sunt diuinandi donum esse concessum. neque enim Virgilium omnes defunctorum animas diuinantes inducere, sed paucas tantùm, quæ purgatæ iam essent, lætáque iam tenerent arua: quod Anchisæ animæ apud eum contingere. Atque adeo Donatum, quum dicit, cognouisse Palinurum vim illam esse diuinã, sed quis deus fuisset, ignorasse, quòd Phorbantem tantùm vidisset: satis ostendere, Palinurum non diuinasse, contra quàm Seruius opinetur.

Considera igitur lector quàm multæ controuersiæ ex peruersa interpunctione interdum oriantur, & quàm multa absurda eam consequantur.

Sed alium etiam libet depromere locum, ad quem omnes (quos quidem legerim) enarratores, tanquam ad lapidem de-industria pedibus suis obiectum impegerunt: non quòd præpostere posita esset interpunctio, sed quòd, quum tota illa oratio nullam posceret, apposita esset tamen, & illos sistere se vbi minimè oportebat adigeret. Sequentem igitur locum accuratè expende. — *& egressus syluis, vicina coegi Vt quamuis auido parerent arua colono.* Nam quum post *coegi* editiones quæ meam præcesserunt habeant hypostigmen, non cæteri tantùm enarratores, sed etiam Sebastianus Corradus, vir diligentissimus pariter, & doctissimus, dum *vicina* non iungũt cum *arua*, sed intelligunt, *Coegi vicina*, vt ea cogendo, efficerẽ vt arua parerent colono: significationem dant verbo *coegi* à mente poetæ alienã, quidam verò & nouam: & se tamen impeditos hærere animaduertunt. Nam Augustinus Dathus & alii volũt, Virgilium, his verbis, *vicina coegi*, intellexisse, collegisse & in præcepta redegisse atque in artem quæ erãt vicina

ſyluis. id eſt georgica. Ac multę ſunt veteres editiones (ex illis præſertim quæ adiunctos habent commentarios) tam Gallicæ quàm Italicæ, in quibus hæc ita leguntur, etiam parentheſeωs notis incluſo tertio verſu,

— & egreſſus ſyluis, vicina coegi:
(Vt quamuis auido parerent arua colono)
Gratum opus agricolis.

Quorſum autem hîc notas illas ponebant? Quòd hæc, *gratum opus agricolis*, per appoſitionem dici putarent de illis tantùm verbis, *vicina coegi*: hoc modo, *In præcepta redegi vicina ſyluis, id eſt georgica, opus gratum agricolis: vt arua parerent ex præceptis meis colono.* Ac ne iſta quidem cõtenti expoſitione erant: ſed addebant & hanc, *Vtpote qui ſcirem quòd quamuis arua parerent colono auido, tamen opus eſſet gratum agricolis.* Quinetiam tertia hæc verborum ordinatio afferebatur, *Ille ego qui modulatus ſum quondam gracili auena, coegi carmen, etiam vicina ſyluis, gratum opus agricolis, egreſſus ſyluis, ideo vt arua parerent.* &c. Vide lector vt locus hic crux fuerit non ſolùm infinitis lectoribus, ſed quamplurimis etiam enarratoribus fixa. Nam (quod valde mireris) etiam Sebaſtianus Corradus (vir & doctiſſimus & diligentiſſimus) hoc in loco multum ſe fatigat, neque tamen ex eo ſe expedire poteſt. Quòd ſi negarem, idem mihi quoque aliquando vſuveniſſe, verax non eſſem. Sed quum in mea huius poetę editione, ad hunc locum veniſſem, & viderem impoſitam mihi eſſe neceſſitatem, locum hunc magis ſeriò quam antea vnquam examinandi, tandem apud me cogitare cœpi, Quid ſi ſtulti alicuius librarii manu adſcripta fuit verbo *coegi* illa interpunctionis nota? Vix igitur à me expuncta fuit, quum tenebras in lucẽ commutatas vidi. Nam libertate, quam illa mihi eripiebat,

ſumpta, iunxi præcedens *vicina* cum ſequente *arua*: quippe cui ſciré linguam Latinã permittere vt diceretur, Coegi atua vt parerent, pro eo quod eſt Coegi arua parere. Simul autem recordatus ſum alius loci eiuſdem poetæ, in quo hyperbole ſimili, vel potius eadem, ſub alio tamen verbo, vtitur. Legimus enim Georg. libro primo, de agricola, Imperare aruis.

Et qui, proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro,
Exercétque frequens tellurem, atque imperat aruis.

Arua enim quibus imperat agricola, illi parent, quamuis auido, id eſt quantumuis auido: eius auiditatem quantumlibet magnam explentia. Quinetiam alibi eodem ſenſu dicit ſegetem votis auari agricolæ reſpōdere: inter illa quæ non multo ante præcedunt,

Illa ſeges demum votis reſpondet auari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit.

Est denique & aliud malum, magis etiam præcedente alicubi periculoſum, & minus tamen illo cognitum pleriſque eorum qui veterum ſcriptorum libris medicum calamum adhibuerunt. Nec certè quiſquam criticus (ὅσα γε κἀμὲ εἰδέναι) vllam eius mentionem fecit quum tamen nullum ſit quod criticam ſolertiam criticúmque iudicium potius debeat implorare. Verùm huic malo poetica magis quàm orationis ſolutæ ſcripta ſunt obnoxia. Quódnam huic eſt nomen? Neſcio an metatheſin auſim dicere, addendo, mendoſam: quum metatheſin tranſpoſitionem quidem ſiue traiectionem ſonare, ſed aliis de rebus dici conſtet. Ordinis quidem certè eſt perturbatio, quocunque alio nomine illam appellare libeat. Huius autem vt exempla repræſentem, ab eo ipſo quem habemus poeta diſcedendum

non fuerit. Sed vno tamen contentus ero, cuius & in mea editione admonui. Quum igitur omnium castigatorum siue correctorum, omnium enarratorum, omnium typographicorum exemplarium consensu ita legatur hic libri decimi Æneidos locus,

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multósque palus Laurentia, sylua
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuítque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci propiúsve accedere virtus,
Sed iaculis tutísque procul clamoribus instant:
Haud aliter, iustæ quibus est Mezentius iræ,
Non vlli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longè & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

Quum inquam non alius vsquam horum versuum ordo inueniatur (quod quidem sciam) non dubito tamen quin eorum hunc potius esse ordinem debere fassurus sit mecum quicunque diligenter locum expenderit.

Nec cuiquam irasci propiúsve accedere virtus,
Sed iaculis tutísque procul clamoribus instant:
Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas:
Haud aliter iustæ quibus est Mezentius iræ,
Non vlli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longè & vasto clamore lacessunt.

Hos enim duos versus, *Ille autem imp. p. cunct. in omnes, Dentibus infr. & tergo dec. hastas*, quis neget apro potius quàm Mezentio, conuenire? Ac parum certè abest

quin quod amplius eſt dicam: eos tam malè Mezentio, quàm bene apro conuenientes eſſe. Nec verò dubito quin ob duos hoſce verſus potiſſimum locus hic tantum negotii quibuſdam grammaticis exhibuerit, vt eum in numero duodecim obſcurorum poſuerint. Quid enim alioqui habet propter quod illis debeat adnumerari?

SED, dum quid criticorum cura præ cæteris dignum ſit quęro, vnum quod pręcipuè hanc curam mereri videtur, omitto. Quídnam verò illud eſt? Latinitatis integritas. Nihil enim criticos magis decere, magíſque iuris illorum eſſe exiſtimo, quàm eos in locos in quibus integra Latinitas non ſit, ſuo illo cenſorio iure vti. At ecce tamen, in hac ſui officii parte dormitaſſe mihi videntur. Cuius rei exempla in illo Schediaſmate quod poſteriori meæ Virgilii editioni adiunxi videnda tibi videndi cupido relinquo. Sed duo illis addam, quorum vnum eſt ex libro Æneidos primo. ibi enim legimus,

Cui mater media ſeſe tulit obuia ſylua,
Virginis os habitúmque gerens & virginis arma
Spartanæ.

nec vlla (quod ſciam) alia lectio affertur: quum tamen conſtet, Latinæ linguæ conſuetudinem poſcere vt dicatur, Illa tulit ſe ei obuiam, vel Ille tulit ſe ei obuium. Eodémque modo, Dedit ſe obuiam, vel obuium. Quomodo igitur hæc, *Cui mater ſeſe tulit obuia*, à Latinitate non diſcedere dicemus? Nam ineptum (meo quidem iudicio) fuerit, illud *obuia* à verbo *tulit* ſeparare: hoc modo, Cui mater obuia (id eſt, veniens obuiam) tulit ſe. Quid enim hoc eſt, aut vbi lectum? *Ferre ſe alicui.* Non video certè quod ex hoc loco pateat effugium, niſi vt dicamus, *tulit ſe* dictum eſſe pro Obtulit. Sed

quamuis ſimplicibus pro compoſitis vtantur poetæ, eſſe tamen nonnulla conſtat quorum talis vſus nimiũ inſolens & durus eſſet: nec dubito quin hoc in numero ponendum ſit iſtud. Potius igitur crediderim Virgilium ſcripſiſſe,

Cui mater media ſeſe obtulit obuia ſylua:

ſed quòd ab eadem ſyllaba duæ contiguæ voces, *obtulit* & *obuia*, initium haberent, vel cum Latinitatis periculo (ſi quidem id præuidebatur) *obtulit* in *tulit* mutatum fuiſſe. Ego tamen duriorem παρήχησιν eſſe non dixerim quæ duo contigua vocabula ab eadem ſyllaba inchoat, quàm ſit ea quæ eadem claudit. Atqui huius cùm alia quamplurima exempla apud hunc poetam habemus, tum verò iſtud, *Fama, malum*, Æn. IIII.

Alterum exemplum peto ex Æneid. libro XII, *Talis ſe ſata Nocte tulit*. Nam ſi *Talem ſe ſata Nocte tulit*, ſcribendum eſſe dixero, hoc ex aliis locis facilè euicturus mihi videor.

Ad hunc porro ſermonẽ pertinet & illa in verbis ſibi reſpondentibus temporis diſparitas, de qua antea dixi. Verùm, quum hîc de iis agam quæ à librariis non autem à poeta aduerſus Latinitatem (ſi tamẽ non fallor) peccata ſunt, credibile tamẽ eſt criticos in ea potius inquiſiuiſſe quæ ipſummet poetam hac in parte peccaſſe crederent. Ex iis autem eſt quod vocatum fuit Solœcophanes: atque id longè latéque extenditur, contrà quàm vulgus grammaticorũ putat, dum non aliud eſſe aiunt quàm quod alio nomine ἀλλοίωσιν vocant: quum in adiectiua voce mutatur genus ſubſtantiuæ. Veluti quum dicitur, *Præneſte ſub ipſa*. Item, *Centauro inuehitur magna*. Quibus ſimile eſt apud Terentium, *In Eunuchum ſuam*. Immo verò (vt dixi) longè latéque patet hæc appellatio,

& ad ea omnia pertinet quæ solœca φαίνεσθαι possunt, etiamsi non sint. Nam vel hoc ipsum quod modò dixi, Vulgus putant, & aiunt, est solœcophanes. Sed aliqua ita esse σολοικοφανῆ sciendum est, vt quodammodo καθ' ὑποκορισμὸν ita dicantur, quum solœca vocari posse videantur. Exemplum autem fortasse satis aptum fuerit locus ille, *Vrbem quam statuo vestra est.* At vocatur antiptosis, dicet aliquis. Esto: sed quid vetat quin aliquæ etiam antiptoses solœcismum oleant? Quod si de vlla dici potest, de hac certè maximè: meo quidem iudicio. Sedenim poetam aduersus criticos defēdere possumus, antiptosin huic loco subesse & quidquam solœcophanes habere negantes. Quomodo igitur illum accusandi casum qui sedem casus nominandi occupat, aduersus illos tuebimur? Minimo certè negotio. tantummodo enim posita post verbum *statuo* interrogationis notula silentium illis imponet. Totus enim locus est hic, Æn. lib. primo,

Seu vos Hesperiam magnam Saturniáque arua,
Siue Erycis fines regémque optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam, opibúsque iuuabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo? vestra est. subducite naues.

vt, repetito verbo ex præcedente versu, intelligamus, Vultis vrbem quam statuo? vestra est. Hoc (inquam) responso, criticos omnes ἐπιστομίζειν poterimus. At si cum Donato respondeamus, mutato verborum ordine scribendum esse, *Quam statuo vrbem vestra est*, nos cum nostro Donato illorum sannis exponemus.

Quinetiam acyrologia non tantam quidem, sed nō paruam & ipsa Latinæ linguæ alicubi facit iniuriam: ideóque non mirum siquos ob eam locos critici siue

apud hunc poetam, siue apud alios reprehenderint. Apud hunc quidem certè duræ acyrologiæ seu catachreses paucæ sunt: & vix vllæ fortasse quæ veniã impetrare non possint. Nam illa verbi *Sperare* acyrolexia, quæ durioribus videri posset annumeranda, quamuis duobus in locis inueniatur, fortasse tamen vni eorum aliud verbum adhibuerat (de quo meam aliquanto post audies coniecturam) at in altero, non tantùm imitatione Græci ἐλπίζειν, sed aliter etiam posse illam excusari, ibidem docebo.

Ad alia autem exempla vt veniam, tantum abest vt quum *caper* vocatur *vir gregis*, id ab vllo critico reprehendi meritò possit, vt contrà laudari lepida hæc audacia debeat: præsertim quum in ea Theocritũ sequutus sit, apud quem τράγος dicitur eodem modo τᾶν αἰγᾶν ἄνερ. Sic verò quum de apibus audis,

Magnanimósque duces, totiúsque ordine gentis
Mores & studia & populos & prælia dicam:

quum audis de iisdem non solùm illud *duces*, sed & *reges*: quinetiam *ingentes animos*: necnon *vulgus* & *plebem*, & siqua sunt huiusmodi: non acyrologias, sed audaces metaphoras, festiuas tamen, vocare ea debes.

Neque tamen negauerim, quibusdam locis aliam subesse acyrologiam, siue acyrolexiam (nam vtroque vocabulo, potius tamen illo, Græci improprium sermonem appellarunt) cuius audaciam non perinde audacter nec libenter imitaturus sim. Talis autem est illa, libro v, *& tenues Teucrûm res eripe letho.*

Sed nónne ad hoc caput tria quę reprehẽdit Cornutus in Virgilio verba referre possumus? Referenda sunt sanè, si ea etiam quæ non satis significantia sunt, aut nõ satis grauia, impropriis annumerare oportet. Quod

tamen propter duo illorum tantũmodo à me dicitur, *Vexare* & *Illaudatus*. Tertium enim *Squalens* non ob hanc causam reprehenditur, sed vt contrarium ei quem Virgilius dedit vsum habens. Quod ita si esset, quid magis impropriè dictum inueniri posset? Libet igitur eos etiam locos, addita cuique sua critica censura, cõmemorare: simúlque, ad vnamquamque quid respõsum fuerit, referre: & quod addi posse videbitur, adiicere. Cornutus igitur (teste Gellio) & cum eo alii quidam grammatici, haud sanè indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium scripserunt, eum reprehenderũt quasi incuriosè & abiectè verbo vexare vsus esset in his Eclogæ sextæ versibus,

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis.

Rationes autem afferuntur hæ: *Vexasse* verbum esse leue, & tenuis ac parui incommodi: ideóque tantæ atrocitati non congruere, quum homines repentè à bellua immanissima rapti laniatíque sint. Quibus Gellius ita respondet, vt dicat, Vexasse, verbum graue esse: atque id factum videri ab eo quod est Vehere: in quo inesse iam vim quandam alieni arbitrii: quum sui potens nõ sit qui vehitur. Vexare autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu vehementiore esse: quoniam qui fertur & raptatur, quíque huc atque illuc distrahitur, is Vexari propriè dicitur. Sic Taxare pressius crebriúsque est quàm Tangere, à quo inclinatum esse constat. Sic Iactare, multo fusius largiúsque est quàm Iacere: & Quassare quàm Quatere grauius violentiúsque est. Deinde, ad verbum Vexare reuertens, *Non igitur* (inquit) *quia vulgò dici solet vexatum esse quem fumo, aut vento,*

aut puluere: propterea debet vis vera atque natura verbi deperire, quæ à veteribus conseruata est. Atque adeo exempla duo, vnum ex M. Catone, alterum ex M. Tullio affert. Hæc ille: inter quæ illud miror, Vexare, factum videri ab eo quod est Vehere: quasi verò hac de re dubitatio vlla, aut vllum verbum, vnde alioqui factum dici possit, relinquatur. Quod autem scribit, cum qui vehitur, sui potentem non esse: (id est, in alienam quodammodo potestaté transisse) verum quidem est (quũ & ab equo, & à curru non audiente habenas, vt idem poeta loquitur, & à nauigio auferri quis possit: quod ἐκφέρεσθαι & παραφέρεσθαι Græci dicunt) sed alterum quo nititur argumentũ, longè, meo quidem iudicio, est validius. Sed firmius tamen quàm hoc quoque, argumentũ sunt illa duo quæ affert exempla: quibus certè alia ex Cicerone præsertim addere possumus. Apud quem Asconius illi de verbo Vexare obiectioni occurrere & ipse videtur voluisse. Nam quum Cic. in Verrem or. II, scripsisset, de Sicilia loqués, *Quam iste per triennium ita vexauit ac perdidit, vt ea restitui in antiquum statum nullo modo possit*, annotat, verbo Vexauit ingentem calamitatem significari: quum & ipse suprà dixisset, *Populatæ, vexatæ, funditus euersæ prouinciæ.* Quinetiam loci huius Virgiliani testimonio vtitur, si bene memini. Et sanè ex eo quod hac de voce annotat, tanquam obiectioni (vti dixi) occurrens, suspicari possumus, eum quoque animaduertisse, alium suo seculo eius vsum esse, pro eo tãtùm quod aliter diceretur, Molestiam exhibere. Sed in hac Latinitatis iam tum inclinatione (vt ita loquar) prudentius se Asconius quàm Cornutus gessit. Atque huic istud quoque responderi à Gellio potuisse existimo, videndum esse, in huiusmodi alicuius vocabuli re;re-

hensione, an aliud eo aptius adhiberi potuerit. Atqui, si cò deueniamus vt aliud huic Virgiliano loco conuenientius inueniendum sit, vereor ne diu multúmque quærentes, oleum atque operam perdiderimus: etiamsi non iubeamur inuenire quod tale sit vt syllabarum quantitate alteri omnino respondeat. Nec verò dubito (vt hanc quoque critico dignam quæstionem adiiciã) quin Virgilio in mentem venerit ita scribere, *Dulichias quassasse rates,* (præsertim quum alibi etiam hoc verbo ita vtatur) sed *quassaße* παχύτερον iudicasse. Denique, quàm significans esse iudicaret verbum Vexare hic poeta, ex eo etiam apparet quòd huic versui primi suæ Æneidos libri adhibendum id censuerit,

At bello audacis populi vexatus & armis.

Secunda reprehensio, est nominis *illaudati,* in hoc libri Georgicωn tertii principio,

Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia iam vulgata. quis aut Eurysthea durum
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Nam *illaudati* parum idoneum esse verbum dicebant, neque satis esse ad faciendam scelerati hominis detestationem, qui, quòd hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detrectatione execrationéque totius generis humani dignus esset. At Virgilium duobus defendit modis Gellius: quorum prior est, neminem tam efferis esse moribus, quin faciat aut dicat nonnunquam aliquid quod laudari queat: sed eum qui omni in re atque omni tempore laude omni vacat, illaudatum esse, omniúmque pessimum ac deterrimum: sicut omnis culpæ priuatio inculpatum facit: inculpatus autẽ instar est absolutæ virtutis. Illaudatum igitur quoque, finem esse extremæ malitiæ. Itaq;

Homerum non virtutibus appellandis ſed vitiis detrahendis laudare ampliter ſolere. Quibus exempla ſubiungit ex hoc poeta, cùm alia, tum verò *ἀμύμων*, & *οὐχ ἄκοντε*. Epicurum quoque ſimili modo maximam voluptatem, detractionem priuationémque omnis doloris definiſſe. Eadem denique ratione eundem Virgiliũ *inamabilem* dixiſſe Stygiam paludem. Nam ſicut *illaudatum κατὰ laudis στέρησιν*, ita *inamabilem κατὰ amoris στέρησιν* deteſtatum eſſe.

Altero autem modo poſſe illud epithetum defendi: quòd Laudare priſca lingua ſonaret Nominare, appelaréque: & ſic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur quod eſt nominari. Illaudatum igitur eſſe quaſi Illaudabilem, & innominabilem: qui neque mentione aut memoria vlla dignus, neque vnquam nominandus eſt: ſicuti quondam à communi concilio Aſiæ decretum eſt vti nomen eius qui templum Dianę Epheſię incenderat, nequis vllo in tempore nominaret. Hactenus Gellius: quẽ minimè quò Virgilius reſpexit animaduertiſſe arbitror. Neque enim dubium mihi eſt quin Buſiridis mentionem faciens, recordatus fuerit laudationis eius ab Iſocrate contra omnium expectationem ſcriptæ, & illo epitheto taxare hanc voluerit. perinde acſi dixiſſet, Buſiridis malè laudati. id eſt, falſò laudati. Quinetiam, ſi Illaudabilis exponatur, non minus eodem reſpexiſſe dici poterit. Quod tamen ſi non admittatur, & Gellium potius ſequi oporteat, ego meliorem eſſe defenſionem illam iudico (ſicut & ſimplicior eſt) qua ſimile eſſe dicitur illi *Jnamabilis*. Verùm, quoniam ibi additum eſt etiam *triſti* (nam legitur, *triſtíque palus inamabilis vnda*) aliud potius exemplum debuerat afferre. Eſſe autem hoc poterat, ex libro Georg. II, *Mi-*

ſcuerúntque herbas, & non innoxia verba. quum intelligi velit, non ſolùm non noxia, ſed etiam nocentiſſima, ſeu pernicioſiſſima. Aut certè iſtud, Æneid. VIII,
— non te rationis egentem Lernæus turba capitum circumſtetit anguis. Quæ figura (qua minus dicimus, plus cogitamus) malè paſſim apud Seruium Liptotes appellatur: quum à λείπω non dicatur λειπλότης, ſed λιτότης à λιτὸς, vt docui in meo De abuſu Græcę linguæ libello.

Verùm ad tertiam tranſire reprehenſionem tempus eſt, quę ſuperioribus maior eſt: quoniã de voce *Squalens* agitur, quam non ſatis ſignificantem eſſe, aut non ſatis grauitatis habere, non dicunt, ſed contrarium vſum ei datum eſſe. Verſus igitur in quo vocabulum illud culpatur, eſt hic, libro Æneid. x,

Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.

Tanquam ſi non conuenerit dicere (inquit ille) *auro ſqualentem*: quoniam nitoribus ſplendoribúſque auri ſqualoris illuuies ſit contraria. Sed hunc quoque locum defendens, ſcribit, poetam copiam denſitatémque auri in ſquamarum ſpeciem intexti ſignificare. Squalere enim dictum eſſe à ſquamarum crebritate aſperitatéque, quæ in ſerpentium piſciúmque coriis viſuntur. Affértque duos huius poetæ locos, in quorum vno dicitur pellis ahenis in plumam ſquamis auro conſerta tegere equum: in altero autem alius, indutus thoracem rutilum, ahenis ſquamis horrere. Affert verò & hunc Accii locum, *Eius ſerpentis ſquamæ ſqualido auro & purpura prætextæ.* Atque his tandem verbis hanc ſuam defenſionem claudit, *Quidquid igitur nimis inculcatum obſitúmque aliqua re erat, vt incuteret viſentibus, facie noua, horrorem, id ſqualere dicebatur. Sic in corporibus incultis ſquamoſíſque alta congerie ſordium, ſqualor appellabatur.*

Cuius

Cuius significationis multo assiduóque vsu totum id verbum ita contaminatum est, vt iam squalere de re alia nulla quàm de solis inquinamentis dici cœperit. Quibus à Gellio rectè defendi Virgilius videtur: sed illi vix assentiri vsquequaque ausim de eo quod scribit super verbo Squalere: videlicet, Squalere solitum dici quidquid nimis inculcatum obsitúmque aliqua re erat, ita vt noua sua facie horrorem visentibus incuteret. Generalius enim de eo dictum existimo quod valde obductum & obsitum aliqua re esset, ac minimè superficie tenus. Alioqui certè illam quoque tunicam, auro squalentem, incussisse horrorem dicendum esset.

Cæterùm, ad primam illam Cornuti reprehensionẽ quod attinet, verbum Vexare, atrocitati quæ ibi describitur, minimè respondere dicentis: ei similem dicere possumus eam quæ *durum* de Eurystheo dictum in vno eorum quos attuli locorum, improbat, & mutandum in *dirum* contendit. Huius autem morositatis (si morosam reprehensionẽ ita vocare licet) meminit Pierius.

QVID? nónne & quæ ambiguè dicta erunt, notabit criticus? Id faciet certè, si Horatiani Aristarchi exemplum sequi velit. Sed non multi (vt opinor) loci apud hunc poetam hac de causa notandi occurrerent. Nam nec Seruio quibusdam in locis habenda fides, amphiboliam iis subesse dicenti. Ex iis est hic, Æneid. 1,

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediísque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ,
Bellatrix: audétque viris concurrere virgo.

Neque enim recipi potest quod in hunc locum scribit: amphibolon hîc esse, vtrum ipsa aurea, an aurea cingula. Ineptè enim illis duobus quæ de Penthesilea dicun-

tur, *furens, & bellatrix*, intermiſceretur *aurea*. Fallitur autem & in exemplo quod affert in iis quæ proximè addit, *Sciendum tamen, plerumque amphiboliam metri ratione diſſolui. vt — Aurea compoſuit ſponda Dido. Aurea enim ſi ad ſpondam referas, non ſtat verſus*. Nam locus cuius ille hîc mentionem facit, eſt hic, Æneidos libro primo,

Quum venit, aulæis iam ſe regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediámque locauit.

Vbi *aurea* nihilo magis ad reginam, quàm illic ad Pentheſileam referri conſtat: ſed cum *ſponda* iungi, vt fiat ſynæreſis: qualis fit in voce χρυσέη, cuius illa ſignificationem habet. Sed & Seruius hîc cum *ſponda* iungi poſſe fatetur. Quod certè ſuſpectum alterum illum locum reddit: vt alia multa vel ex tali repugnantia meritò ſuſpecta redduntur. Quòd ſi verum iſtud eſſet hoc in loco, vel alibi (vt certè verum alicubi eſt) amphiboliam metri ratione diſſolui, falsò certè amphibolως loquutus ibi diceretur poeta, quicunque is eſſet.

Iam verò & quędam affert tanquam ambiguè dicta, quæ tamen in ſoluta etiam oratione eodem dici modo poſſent. Sic Georg. IIII, de apibus,

Illis ira modum ſupra eſt: læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt,
Affixæ venis: animáſque in vulnere ponunt.

Hîc enim ab illo ſcholiaſte annotatur, *Vulnere, non ſuo, ſed à ſe illato*. Et addit eſſe hîc amphiboliam, vt quum *Turni iniuria* matrem admonuiſſe dicitur, quam inferebat, non quam inferebant validiores. Sed eiuſdem vſus nominis, Vulnus nos minimè admonuit in hunc ſecundum Æneidos locum,

— quorum Iphitus, æuo

Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyssis.

Nam hîc quoque vulnus Vlyssis intelligamus necesse est, ab illo illatum, non acceptum. Verum autem esse quod dixi, solutam quoque orationem talem genitiuorum vsum admittere, exemplis ostendi potest: præsertímque Salustii, qui metum Pompeii eodem dixit modo, de Pompeio, non qui metuebat, sed qui metuebatur. Atque adeo ipse Seruius, qui absque amphibolia Virgilium ita loqui non potuisse existimat, nihilóque magis appellare Turni iniuriam, eam quam inferebat, quàm quę ei inferebatur: interim ex Salustio citat dictũ similiter, *Iniuria validiorum*, de ea quam inferebant validiores. Neque tamen inficiari velim, tam in carmine quàm in soluta oratione interdum loqui ita non licere: ne amphibolia, quæ lectori negotium exhibeat, subsit. At de hoc versu libri Æn. 1,

Nec latuere doli fratrem Iunonis & iræ,

quid dicemus? nónne hîc ambiguè loquutum esse poetam, si alibi vsquam, mihi, cum aliis, fatendum est? Immo verò de alio quouis potius quàm de hoc istud fatear. Quid ita? quoniam poterat poeta (quod animaduersum non fuisse miror) mutato tantùm ordine verborum scribere,

Nec fratrem latuere doli Iunonis & iræ.

si quidem accusatiuum *fratrem* ab auditore aut lectore cum illo genitiuo iungi noluisset.

SED & ob eam quæ perissologia vocatur, culpati fuerunt loci nonnulli. Verùm, quum vulgo pro perissologiæ exemplis, *Ore loquutus*, itidémque *Ore effatus*: & *Mutatus faciem & ora*: aliáque his similia soleant afferri: sciendum est alia esse maioris perissologiæ genera, quæ tota hemistichia interdum occupat: de qua

M. ii.

aliud erit dicendi tempus. Hoc tantùm addam, locũ esse apud eundem poetam, qui quum multo etiam longioris quàm dixi perissologiæ à multis accusetur, habet etiam à quibus defendatur. Is est hic, Æneid. 1,

Quem si fata virum seruant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat vmbris.

Quod verò ad eos attinet locos qui vulgò inter perissologiæ exempla referuntur, nonnulli sunt qui contrà ex hoc numero eximendi putantur. Nam vbi dicit Virgilius, *nec bello maior & armis*, negat Seruius iteratioñe esse: quòd bellum habeat etiam consilium: arma autem, tantùm in ipso actu sint. Sed hanc distinctionem subtiliorem esse quàm veriorem dico. Maiore tamen ratione hęc excusatio videri potest niti quàm ea qua illud *Ore loquutus* defendit. Negat enim esse perissologiã: quoniam secundum Homerum exploratores, quæ volunt, plerunque nutu significant. Quid? si hoc opponi iis potest qui perissologiam esse illud volunt, cur non & antea vbi ab eodem poeta dicitur *Ore effata*, opponebat? At ecce contrà, hoc loco *ore* abundare fassus est: si tamen ab vno eodémque scriptum fuit vtrumq;. Multa enim per Seruii commentarios sparsa legimus quæ nihilo magis illius sunt quàm eius à quo leguntur: nonnulla certè quæ aliquem posteriorem etiam eo scripsisse necesse est.

AD hoc quoque animum attendebant diligenter critici, an scriptores sibi constarent: & quamuis circa rem potius quàm verba animaduertendum id sit, tamẽ & in iis quæ ad sermonem pertinent poetas nonnunquam reprehenderunt, quòd in aliquo eorum à seipsis dissiderent. Sic profectò culpatus fuit Flaccus quòd hepar siue iecur duobus quidem tribúsve locis, iræ, alibi

autem, libidinis ſedem fecerit. Nam decimætertiæ odes libri primi hoc eſt initium,

Quum tu Lydia Telephi
Ceruicem roſeam, cerea Telephi
Laudas brachia: uæ, meum
Feruens difficili bile tumet iecur.

Et ſatyra nona libri primi legimus,

— meum iecur vrere bilis.

quum alibi tamen pleriſque in locis ita de iecore loquatur, tanquam libidinis ſedes ſit, ſeu fomes. Scribit enim, ode XXV, libri I, *Quum tibi flagrans amor & Cupido Sæuiet circa iecur vlceroſum.* Itidémque in epiſtola ad Lollium, quæ eſt libri prioris ſecunda, hunc verſum habemus, *Non ancilla tuum iecur vlceret vlla, puérve.*

Vt autem à ſeipſo, ſic etiam à philoſophis diſſentit, quum iram in iecore, non libidinem, ſiue amorem, collocat: nominatímque à Platone, qui τὸ ὀργιστικὸν ſiue τὸ θυμοειδὲς, in corde, ſicut τὸ ἐπιθυμητικὸν in hepate conſtituit. Ac ne Tityi quidem ſupplicium nos de hoc iecoris officio (ſi loquendum ita eſt) dubitare ſinit. Quum enim veteres in poeticis fabulis puniri quemque notarent ea parte qua peccaſſet, ſic Tityum, τὸν κακῶς ἐπιθυμήσαντα, εἰς τὸ ἧπαρ κολάζεσθαι dicebant. id eſt, Tityum, qui praua cupiditate accenſus fuiſſet, in iecore ſupplicii dolorem ſentire. Perinde quaſi extra omnem controuerſiam apud ipſum etiam vulgus eſſe deberet, improbam illam Tityi cupiditatem domicilium in iecore habuiſſe.

Quinetiam, ſicut iecur, libidinis, & cor, iræ, ita etiam caput, facultatis ratiocinatricis (quam Græci τὸ λογιστικὸν vocant) ſedes à multis eorumdem veterum exiſtimatũ



fuit: ſed ratiocinatricis facultatis domicilium non ita controuerſia carere dici poteſt vt reliqua duo: quum de his non multorum tantùm philoſophorum, ſed poetarum etiam teſtimonium habeamus: præſertim tamẽ quod ad cor attinet. Nam teſtimonia ſi de hoc proferenda eſſent, ſumi initium ab Homero poſſet: *à quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis*. Huc enim pertinet illud, οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, quod ex illo habuiſti antea. Sed interdum etiam θυμὸν, interdum στῆθος vel στήθεα, interdũ φρένας (tanquã κραδίη ſynonyma vſurpãs) iræ domicilia facit: & non tantùm χόλον, ſed & μένος, aut θυμὸν (quod Latini poetæ Animos hîc interpretarentur, vt altero illo in loco Animum) dicere ſolet: quum eius apud Latinos æmulo copia hæc denegata ſit: qui alioqui *corda tumida ex ira* dixit, optimè illud, οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, repræſentans. At verò poſteriores Homero poetas, potius quàm ipſum Homerum, ita de iecore vt dictum fuit loqui, obſeruatum eſt. Inter quorum teſtimonia omittendum non eſt hoc illius quem mihi veteris Græcorum lyræ ſtudioſi debent,

Τανύει δὲ, καί με τύπτει
Μέσον ἧπαρ, ὥσπερ οἶστρος.

Id eſt (loquitur autem de Cupidine)

Statímque tendit illum,
Ferit & mihi ſagitta
Medium iecur, quaſi œſtrum.

vt quidem in adoleſcentia ſum interpretatus, eodem quo & Græcos verſiculos edidi tempore.

Verùm (vt ad Flaccum noſtrum reuertamur) quomodo eum aduerſus moroſum ac tetricum quempiam criticum hîc defendemus? Apta (meo quidem iudicio) fuerit defenſio, ſi reſpondeamus, eum potius qui non

diuersa solùm sed contraria etiam loquitur, sibi non constare dici: at Flaccum illud quidem, sed non & hoc facere. Quòd si tamen & contraria de re huiusmodi loqueretur, sua se libertate (id est poetica) tueri fortasse posset: & dicere, hac se vtentem, de re eadem interdum quidem φιλοσοφικῶς, nonnunquam verò ἰδιωτικῶς verba facere. Vt taceam, Iuuenalem quoque iecori iram assignasse, Satyra prima,

Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira?

NEC VERO aduersus verba tantùm sed aduersus ipsas etiam res quibus illa seruiebant, criticos suam seueritatem distrinxisse videmus. Huius enim poetæ œconomiam carpebant, illius ataxiam reprehédebant, alius in suis fictionibus inconcinnitatem & incohærentiam damnabant: alium non seruare decorum, alium sibi nõ constare dicebant. Reliquas enim reprehensiones omitto: quæ certè haud ita multæ sunt, quum sub illis verbis plurimæ comprehendantur.

Quamuis autem œconomiæ tantùm mentionem hîc fecerim, non sum nescius tamen prooeconomiam quoq; apud Seruium aliquot locis legi: sed quod prooeconomiam vocauit (si quidem ita scripsit) non video quid obstet quominus œconomiam appellemus: sicut παρασκευὴν interdum nominare licet quod alius προπαρασκευὴν dixerit. In hunc enim locum libri primi Æneidos,

Et iam finis erat, quum Iuppiter æthere summo
Despiciens mare veliuolum, terrásque iacentes,
Littoráque, & latos populos, sic vertice cœli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.

scribit, pulchram esse prooeconomiam, id est dispositionem carminis. Vituperabile enim futurum fuisse, si ex abrupto transitum faceret. Bene autem hunc fecisse,

inducendo Iouem & de rebus humanis cogitantem, & Africam respicientem, ad quam venerunt Troiani. *Vnde* (inquit) *honestus color est, vt Venus adeat Iouem, timens ne Romana fata Carthagini concedant.* Hîc (inquã) non video quid vetare possit quominus œconomiam vocemus quod proœconomiam dixit: præsertim quum œconomiã circa talia versari apud hũc ipsum enarratorẽ videamus. Nam in hos versus libri Æneidos vltimi,

Hîc mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret vt ad muros, vrbique aduerteret agmen
Ocius, & subita turbaret clade Latinos:

admonet, bona vsum esse œconomia, vt diceret, instinctu numinis profectum esse Æneam ad ciuitatis excidium. Incongruum enim futurum fuisse, illum bello occupatum, per se tale cepisse consilium. Hæc ille: qu & hoc fortassis addere debuit, simul etiam imitation Homeri id à Virgilio fingi: perinde acsi verba illa au diremus, καί οἱ θεὸς ἔμβαλε θυμῷ. Sic autem in hunc ver sum eiusdem libri,

Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus,

annotat, ad œconomiam hæc pertinere, Turnum ide cum mora armari, & intecto capite circa aciem incedere, admonentem singulos, vt à Lauinia possit videri & vt sit maior causa dimicandi, dum sponsæ placere contendit. Quinetiam alicubi hæc duo copulat, œconomiam & rei futuræ præparationem. Quòd si œconomiæ inest præparatio, non video quid proœconomi potius quàm simpliciter œconomiam dicere necess fuerit. Scio tamen alicubi vtrumque ita poni vt no eundem vsum habere videri possit. Nam in hunc libr eiusdem locum,

Semianimi lapsóque superuenit, & pede collo
Impress

Impresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit iugulo:

ſcribit, eſſe velut proœconomiam, vt non eum ſuo in-
terimat gladio, ne agnoſcat quòd Metiſci eſt : & iam
nunc ſuum requirat. Quo facto perire poterat ſequens
fracti gladii œconomia. Hîc enim lectorem primo a-
ſpectu proœconomiam ab œconomia diſtingui exi-
ſtimaturum præuideo : quaſi videlicet proœconomia
ſit ad œconomiam præparatio. Verùm ſi ipſa œcono-
mia eſt iam prẹparatio, (vt modò oſtendi) quæ iſta
ad prẹparationem præparatio eſſet ? Potius igitur di-
xerim œconomiam fracti gladii vocari, figmentum de
fracto gladio œconomię præcedenti conſentaneum:
quaſi quis dicat τὸ δι᾽ ἐκείνης τῆς οἰκονομίας, vel potius, ἀκο-
λούθως ἐκείνῃ τῇ οἰκονομίᾳ οἰκονομηθὲν πλάσμα.

Denique & apud Ælium Donatum œconomiæ
tantùm, non etiam proœconomiæ, locis aliquot men-
tionem habemus : quum tamen œconomia velut prẹ-
parari ſequentibus locum, itidem intelligat. Sic enim
in hunc Eunuchi locum,

Sed heus tu, purgón' ego me de iſtac Thaidi
Quòd eam me amare ſuſpicatur?

docet nos, œconomiam eſſe ad litem futuram inter
militem & Thaidem. Sic etiam obſeruari vult à nobis
in his verbis Andriæ, Actus ſecundi ſcena tertia, *Vide
quò me inducas*, bonam eſſe œconomiam, vt mox iuſtè
Dauo ſuccenſeat Pamphilus. Sed ſub generali œcono-
mia tales œconomiæ, tanquam οἰκονομήματα quædam,
comprehenduntur. De illa autem intelligenda arbitror
quæ ſcribit in principium ſcenæ primæ actus tertii
Andriæ. *Simul in hac ſcena id agit poeta vt ad nuptias fa-
ciendas magis accẹndatur Simo. Et quædam induſtria, quæ-*

dam velut casu eueniunt: vt nunc suspicio senis. In multis enim œconomia comicorum poetarum ita se habet, vt casu putet spectator euenisse quod consilio scriptorum factum sit.

Verùm, siue œconomiæ tantùm siue proœconomię quoque appellatio tributa huic poetarum officio fuerit, amplam certè criticis exercendæ suæ censuræ materiam præbere potuit. Atque, vt ad meum Virgilium reuertar, scimus, libri noni principium reprehensum fuisse, quasi circa œconomiam in eo peccaretur. Enarrator enim, postquam dixit, singula hoc in libro esse mutata, quòd & aliæ personæ, & alia loca sint, & aliud negotium incipiatur :(ab Ænea enim transire ad Turnum, à Tuscia ad Ardeam, à petitione auxiliorum ad bellum) addit, *Quem transitum quidam culpant, nescientes Virgilium prudenter iunxisse superioribus negotiis sequētia, per illam particulam, Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur. scilicet, dum offeruntur arma, dum dantur auxilia.* Quibus adiicit, formatum esse istum librum ad illud Homeri vbi dicit per noctem egressos esse Diomedem & Vlyssem, quum capto Dolone castra penetrauerunt. nam partem maximam & œconomiæ & negotiorum inde habere. Ac, ne dubitemus quin reprehensio illa ad œconomiam respiciat, idem in hũc libri primi locum,

Et iam finis erat, quum Iuppiter æthere summo
Despiciens mare veliuolum, terrásque iacentes,

postquam pulchram hîc esse proœconomiam annotauit: & contrà vituperabile futurum fuisse si ex abrupto transitum faceret : subiungit, *quod in nono fecit, Atque ea diuersa p. dum p. geruntur.* Quam rem tamen ibi quoque scribit excusari : sed mendosa esse verba, quæ illam excusationem continent, videntur.

Tum verò potissimum quum ab Homerica œcono-

mia recessit, reprehensores minimè defuisse credibile est. Id autem cum alibi fecit, tum Æneid. XII, ipso etiam Seruio teste. in hunc enim vltimi illius libri Æneidos versum, qui de Tolumnio augure scriptus est,

Dixit, & aduersos telum contorsit in hostes,
Procurrens : ab Homeri œconomia hoc loco recessisse admonet. Illum enim inducere Mineruam persuadentem Pandaro vt iacto in Menelaum telo fœdera dissipet: at Virgilium dicere, ipsum augurem telum sponte torsisse, & occidisse vnum de nouem fratribus. Hoc autem pertinere ad œconomiam. quoniam necesse erat vt fratres ex vnius morte commoti bellum mouerent. Si enim vilis quispiam interisset, potuisse fortassis eius mortem ob fœderis religionem contemni.

Quòd si Virgilius alicubi vltro ab Homeri œconomia discessit, quî credibile est quod Macrobius, criticum agens, de eo scribit, laborasse ad rei nouæ partum, vbi rerum necessitas ab eo exegit dispositionem inchoandi belli quam Homerus non habuerit? Nec verò laborasse tantùm dicit, sed hunc laborem parum felicē sibi videri ostendit. Ceruum enim fortuitò saucium fecisse causam tumultus. Sed quum hoc vidisset leue, nimísque puerile, dolorem auxisse agrestium, vt impetus eorum sufficeret ad bellum. Sed nec seruos Latini, & maximè stabulo regio curantes (ita enim ibi more antiquo loquutus est) atque ideo quid fœderis à Latino cum Troianis ictum esset, ex muneribus equorum & currus iugalis, scientes, bellum generi deorum oportuisse inferre. *Quid igitur?* (inquit) *dearum maxima deducitur è cœlo, & maxima furiarum de Tartaris ascíscitur. Sparguntur angues velut in scena parturientes furorem. Re-*

N. ii.

gina non solùm de penetralibus reuerentiæ matronalis educitur, sed & per vrbem mediam cogitur facere discursus. Nec hoc contenta, syluas petit, accitis reliquis matribus in societatem furoris. Bacchatur chorus quondam pudicus, & orgia insana celebrantur. Atque hunc locum verbis istis concludit, *Quid plura? maluissem Maronem & in hac parte apud autorem suum, vel apud quemlibet Græcorum alium, quod sequeretur habuisse.* Hæc ille: ad quæ respondebo vbi de iis agam qui decorum non rite ab hoc poeta vbique seruatum esse dixerunt.

Vt autem de ataxia interim aliquid dicam, primùm quidem eutaxiam, quæ ei contraria est (id est bonum ordinem) sub œconomiæ appellatione, si latè hæc accipiatur, comprehendi posse non nego: sed tamen ab œconomia separari etiam posse dico, quatènus considerabimus posse in figmentis talem esse œconomiá, vt illa inter se non discrepent quidem, sed non tamen aptis sint locis disposita. Qui enim faciet quod scribit Horatius,

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum,

œconomiæ certè leges, at non protinus & eutaxiæ seruauerit. At cui curæ simul fuerit ille eiusdem poetæ *lucidus ordo*, & ad huius normam sua œconomica (vt ita loquar) figmenta disposuerit, vtriusque leges seruasse dici poterit. Exiguam autem vel nullam reprehensionis materiam hac in parte criticis reliquisse videri potest Virgilius, si verum est quod vetera in Horatiú scholia tradunt, in hunc eius locum,

Ordinis hæc virtus erit, & venus (aut ego fallor)
Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici:
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

ni(inquam) verum est quod illa hunc in locum scribũt, Virgilium ordinem his præceptis consentaneum seruasse. *Ostendit* (inquiunt) *quo ordine componendus sit sensus* (quod vocabulum apud me suspicione non caret) *videlicet, vt ex iis quæ primò dicenda sunt, quædam dicat, quædam differat pro præsenti, vt ea postea per repetitionem commemoret: vt Virgilius primùm describit qualiter Æneas ad Didonem venit, & prætermittit suos casus, & excidium Troiæ: quæ tamen postea satis declarat.* Et rursus in hæc verba; *Pleraque differat,* scribunt, ita Virgilium in nono libro, quum in Italia iam esset Æneas, narrare quomodo fabricatæ fuerint naues, quibus ex Ilio nauigauit: quum in tertio id tacuisset.

Sed quum & alia multa ad eutaxiæ obseruationem requirantur, & variè de nonnullis quæ quis ad eam pertinere existimabit, possit iudicari, ne hac quidẽ in parte criticos suam reprehensoriam linguam à Virgilii carminibus abstinuisse crediderim. Argumento est autem quòd ipsum Æneidos limen carpere quosdam non puduerit, tanquam ordinem præposterum habens. priore enim loco *arma*, posteriore *virum* poni: sed de viro tamen prius quàm de armis dici. Quasi verò hæc coniuncta non essent, & perinde non esset acsi dixisset, se canere arma viri illius qui primus ab oris Tr. &c.

AT verò inconcinnitatem & incohærentiam in suis fictionibus siue figmẽtis (vna enim fictio plura figmẽta potest includere) non habet illud poema de quo Horatianũ illud meritò dicitur, *sibi conuenientia fingere;* necnon illud, *primo medium, medio imum non discrepare.* Quinetiam eius autorem semper ante oculos istud habuisse præceptum, quamuis aliud poematis genus scriberet,

lent: vt intelligeremus, Qui referret ore te tantum virum. Sed non dubium est quin explodenda eorum sit sententia. Iis quidem certè potius subscriberem qui *tamen* legebant. De qua lectione melius quàm de superiore iudicasse Pierius videtur. scribit enim, orationem affectus & amoris plenam fore, vt dicat, se, tametsi summopere concupiscat filium ex Ænea suscipere: nolle tamen, nisi patri futurus sit similis suo. Totáque in eo est vt ostendat, se regnum, opes, famam, omnia denique vni Æneæ posthabuisse: quo si potiri non liceat, eius imaginem saltem assiduè contemplari possit. Ac tandem ad illos quorum antè memini reprehensores veniens, *Quas verò* (inquit) *impudicitiæ voluptatísque notas interpretes huic inurunt, à Virgiliana sententia mihi videntur alienæ.*

Sed poscere hic locus videtur vt ad Macrobiana illa quę antea retuli, ad posteriorem saltem eorum partem, respondeam. Manifestum est enim, quum dicat, inter cætera, reginam Amatam de penetralibus reuerentiæ matronalis educi, iudicasse, minimè seruatum à Virgilio fuisse decorum. Hi sunt igitur Virgilii, de Amata versus,

His vbi nequicquam dictis experta Latinum
Contra stare videt: penitúsque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totámque pererrat:
Tum verò infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per vrbem.

Quid? quum eam bacchari non dicat nisi hęc præfatus, an de penetralibus matronalis pudoris educere illá dicendus est, ac non potius describere quomodo viperea illa monstra eam inde exturbauerint? Fateor enim, quamuis multa iam narrasset quæ nos ad exitum hunc

expectandum

expectandum præparare poterant (inter quæ præcipuũ fortasse illud est, *Vipeream inspirans animam*: præsertim si animam non de anhelitu dici sed vulgarem vsum habere velimus, & animam hanc in illam immigrasse, humana expulsa, intelligamus) tamen si verbis istis, *His vbi nequicquam dictis experta Latinum Contra stare videt*, subiunxisset, illam bacchari, non interiectis illis, *penitúsque in visc. laps. Serp. f. malum*, & cæteris: aliquam fortasse sui reprehendendi materiam nobis dedisse videri posset. Quomodo enim verisimile fuisset, modestam & omnibus modis honestam matronam, atque adeo generositate quæ maiestate regia digna esset, præditam, ad bacchationem prorupisse? Ne igitur hac de re fidem ipsi denegemus, ad illud audiendum simul & credendũ præparat, iis quæ velut præfatur. Quid dico, ad illud audiendum simul & credendum? addo etiam, commiserãdum pariter & excusandum. Nam licet magna sint quæ dicit, illud furiale serpentis malum in viscera penetrasse, tandémque per totum eius corpus sparsum esse, postmodo illam ingentibus monstris accensam & stimulatam, talia fecisse: tamen his etiam maiora cogitanda nobis relinquit: ac fortasse non tam reginam illam quàm monstrum aliquod eius præferens faciem nos vult imaginari. Simul verò, quanta sit diuina aduersus mortales potentia, & quàm sit illam infensam habere periculosum, ostendit. Tantum abest denique vt de Virgilio, tanquam decorum in huius reginæ persona non seruante, conqueri debuerit, vt contrà magnam illius hac de re curam & solicitudinem laudare debuerit: quæ fecit vt primo furialis illius mali impetui resistentem illam introduxerit. Scribit enim,

Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno

Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem,
Nec dum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius & solito matrum de more loquuta est.

Quinetiam in sequentibus hæc ab illo dicuntur, tanquam auditoris aut lectoris obiectioni, quæ Macrobianæ similis esset, iterum occurrere volente,

Talem inter syluas, inter deserta ferarum,
Reginam Alecto stimulis agit vndique Bacchi.

Iam verò, si huius in reginæ persona decorum non seruasse dici posset Virgilius, hanc ob bacchationem: certè & circa Didonem eodem peccasse modo dicẽdus esset. Non enim contentus de illa scripsisse,

Vritur infelix Dido, totáque vagatur
Vrbe furens, qualis coniecta cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis:

non ita magno pòst interuallo scribit & hęc de eadem, quum Fama illi iam furenti retulisset, classem armari, & nauigationem parari,

Sæuit inops animi, totámque incensa per vrbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cithæron.

Illius denique furorem eodem in libro tantum esse dicit vt eum cum Penthei & cum Orestis furore compararet. Postquam enim dixit,

—agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas: sempérque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra:

ad illas comparationes veniens, addit,

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,

Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Quum fugit, vltricésque sedent in limine Diræ.

An igitur & de Didone male mereri hunc poetam dicemus, & ab eius pudore, honestate atque adeo maiestate, abhorrẽtia scribere? Nequaquam: sed Didonem primùm quidem omnino ab illa quæ fuerat mutatam, deinde verò & furore correptam imaginabimur: sub hoc autem furore velut descriptam breuiter amoris vim nobis repræsentabimus, & eam quoque meritò, vim maiorem appellabimus. Alioqui certè & de duobus illis, Pẽtheo & Oreste, multo etiam magis de Aiace, male meriti essent poetæ qui eorum furorem (quamuis aliunde ortum) descripserunt.

Quid? ánnon & de ipsa Iunone male meritus dici posset noster hic poeta, quòd eam à prudentia non tãtùm diuina, sed humana quoque, multo etiam magis à diuina maiestate sua aliena loquentem faciat? & quidẽ eodem loco vbi Alectûs auxilium implorat, à qua mox ipsam Amatam in tantum agi furorem videmus. Nam Iuno simulatque sermonẽ suum finiuit, Alecto luctificam ab infernis tenebris ciet. In illo autem sermone audimus eam illi etiam rei, quam tamen ad exitum tãdem perduci necesse fateatur esse, obstacula quærentem: audimus, tanquam de suo gradu seipsam deiicere non dubitet, ad preces se indignas, vt auxilium impetret, confugientem. Sed nequaquam tamen hîc vllam Iunoni iniuriã facere poetam nostrum dicemus, verùm, cius etiam exemplo, quomodo ira in furorem erumpẽs transuersos nos rapiat, nostríque obliuisci nos cogat, ostendere.

Ad Amatam autem ſimúlque ad Macrobium vt regrediar, tum demum ei à poeta iniuriam fieri dicere Macrobius potuiſſet, quum à generali bacchantium deſcriptione ad ſpecialem deſcendere eum vidiſſet: quoniam fœda multa in memoriam nobis reuocare neceſſe habuiſſet, quæ bacchatione illa comprehendi conſtat. Nyctelia quidem certè Bacchi orgia non ob aliud quàm ob turpitudinem Romanos admitere noluiſſe legimus.

QVOD ſi alibi vſquam, in comparationibus certè decori à poetis ratio habenda eſt. Nam vt hæ præcipuũ poeſeωs ſunt ornamentum, ita etiam præcipua earum cura eſſe illis debet: id eſt, eorum quæ circa eas debent obſeruari. Plerunque enim non abſque difficultate ornatus ille poemati adſciſcitur: adeo vt hîc quoq; dicere poſſimus ἀληθινὸν Græcorum prouerbium, χαλεπὰ (ſiue δυσχερῆ) τὰ καλά. Multa nanque circa comparationem peccari poſſunt: ſed eſt nihilominus & quod illi deeſſe cum venia poſſit. Excuſantur enim quæ alicubi claudicant comparationes (vt vulgo loquimur) id eſt, nõ vſquequaque congruunt, & rei ad quam referuntur nõ omni ex parte reſpondent. quòd neceſſe non exiſtimetur (vt à Græcis etiam dictum fuit) ὅλας διόλου συμβιβάζεσθαι τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι, ſiue ὅλας διόλου αὐτοῖς κολλᾶσθαι. Verùm vbi aduerſus decori leges peccatur, haud ſcio an veniæ locus eſſe poſſit. Quædam tamẽ non hoc ſed illo nomine apud noſtrum illũ poetam reprehenduntur, quas falsò reprehẽdi puto: quædã hoc nomine non culpantur, quas culpa non carere puto. Ex iis igitur quæ eam ob cauſã improbãtur, eſt iſta libri primi,

Qualis in Eurotæ ripis aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille ſequutæ

Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiénsque deas supereminet omnes.
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Cui comparationi subiungitur hæc redditio,

Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi, regnísque futuris.

Illam autem comparationem isti duo proximè præcedunt versus,

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit, magna iuuenum stipante caterua.

Nam fuisse improbatam, ex ipso etiam Seruio discimus: qui hæc in verba, *stipante caterua*, annotat, *Ad hoc tantùm sequens pertinet comparatio. quam vituperant multi, nescientes, exempla, vel parabolas vel comparationes assumptas* (sic enim apud eum scriptum est, in vulgatis editionibus: quum tamen, ita scribendo, distinguere comparationes videatur ab iis quæ à Græcis parabolæ fuerunt appellatæ) *non semper vsquequaque congruere: sed interdum omni parte, interdum aliqua conuenire.* Vbi etiam suspecta librariorum fides esse possit. vt enim minimè necesse est, comparationes omni ex parte conuenire, ita etiam nequaquam satis est, ex aliqua tantùm congruere, quæcunque illa sit: sed ea sit præcipua oportet, & ita vt cæteræ sint eius velut appendices. Sic certè in ea de qua nunc agitur, annotat ipsemet, verba hæc, *exercet Diana choros*, ad comparationem non pertinere, sed esse poeticæ descriptionis euagationem. Quod tamen non de his tantùm verbis intelligendum est, sed de iis quoque cum quibus hæc cohærent. Nam comparatio his etiam (vt opinor) includi verbis potuisset,

Qualis in Eurotæ ripis Diana pharetram
Fert humero, gradiénsque deas supereminet omnes.

His autem comprehẽdi verbis quod præcipuum in iſta comparatione eſt, apparet ex redditione, in qua dicitur, — *talem ſe læta ferebat Per medios.* Hæc enim illis reſpõdent, *gradiénſque deas ſupereminet omnes.* Si igitur ita ſcripſiſſet,

Qualis in Eurotæ ripis aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, ſuccincta pharetra:
Quam circa in magnum glomerantur Oreades orbem.

Si (inquam) ita ſcripſiſſet, *Qualis in Eur. rip. aut p. iuga C. Exer. D. choros, ſuccincta pharetra* (vel *accincta*) *Quam circa in mag. glom. Or. orbem* : & his contentus, redditionem iſtam ſubiunxiſſet,

Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios,

verba iſta, *talem ſe læta ferebat Per medios*, non inuenirent quò propriè referrentur, ideóque multo minus gratiæ haberent.

Atque vt apud Virgilium, ſic & apud Homerum, quędam in comparatione videmus poni, quibus nihil reſpõdet ἐν τῇ ἀποδόσει. Sic enim Iliad. λ, ea parabole cuius eſt principium, — ὡσεί τε δαφοινοὶ θῶες ὄρεσφιν Ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅντ' ἔβαλ' ἀνὴρ Ἰῷ ἀπὸ νευρῆς, ita clauditur, — θῶες μέν τε διέτρεσαν, αὐτὰρ ὁ δάπλει, quum tamen abſque his verbis, αὐτὰρ ὁ δάπλει, plena futura fuerit. Sic verò fuit obſeruatum hoc in loco libri β, eiuſdem poematis,

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων,
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν·
Αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα·

pro ſuperuacaneo haberi poſſe quartum verſum, quum nihil ſit in redditione quod illi verſui reſpondeat: ſed nec addi potuerit quod illi reſponderet. Nam apes qui-

dem, ex vna eadémque egressæ petra, sparsim floribus inuolitant: at Græci contrà (quod etiam obseruandum est) è diuersis tentoriis & nauibus profecti, ad vnum eundémque locum, forum videlicet, tendebant. Possem tamen (meo quidem iudicio) vtcunque defendere Homerum, id est, contendere, versum illum non esse superuacaneum, si dicerem, eum in illo respexisse ad diuersa fori loca in quæ se recipiebant.

Sed nónne operæpretium fuerit in exemplum afferre ipsum etiam ipsius Homeri locum quem Virgilius hîc est imitatus, vel potius (ex parte saltem) interpretatus? Fuerit, mea quidem sentẽtia. Audi igitur, ex Od. libro ζ

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι,
Τῇ δὲ ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
Ἀγρονόμοι παίζουσι. (γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ)
Πασάων δ' ὕπερ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα·
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται· καλαὶ δέ τε πᾶσαι·
Ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Considera hîc, totam anaphoram vno versu comprehendi, quum in septem versus distenta sit comparatio. Sed non tamẽ cum qualibet parte congruit anaphora, siue antapodosis (sicut & redditionem vocaui) verùm cum præcipua: illa videlicet, Πασάων δ' ὕπερ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα. eodem modo quo apud Latinum poetam, hæc quæ sunt comparationis applicatio (si & ita loqui licet) *Talis erat Dido, talem se læta ferebat Per medios*, ad illam potissimum partem respicere manifestum est, *gradiénsque deas supereminet omnes*. Cæterùm, vt Virgilius multo breuior in sua comparatione esse poterat (quemadmodum paulo antè ostendi) & his versibus esse con-

tentus, pauca quædam immutando,

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, ſuccincta pharetra,
Quam circa in magnum glomerantur Oreades orbem:
Sed tamen vna deas gradiens ſupereminet omnes:
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios:

ita certè Homero ſufficere poterant iſti, in quibus aliqua eſt, ſed parua, mutatio,

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι,
Ξὺν πολλαῖς νύμφαισι. (γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ)
Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα·
Ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Sic autem octo ad quinque reducuntur. nam in locum horum omnium, Τῇ δὲ ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο, Ἀγρονόμοι παίζουσι, ſubſtituo iſta tantùm, Σὺν πολλαῖς νύμφαισι. Neceſſe eſt porro aliquam nympharum mentionem præcedere, vt iſta verba, Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, habeant quò referantur. Illum autem verſum, Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι, ſicut hîc omiſi, ita etiam à Marone omitti videmus: qui tamen à præcedenti pendere exiſtimari poteſt: perinde acſi diceret, illam ex eo quòd ita cæteris ſupereminеat, facilè ab illis poſſe dignoſci. Alioqui, ſi hoc hemiſtichium, & poſterius, καλαὶ δέ τε πᾶσαι, ad idem genus κάλλους referrétur, promptius erat Homero, dicere,

Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη, εἰ καὶ καλαὶ εἰσὶν ἅπασαι.

Cæterùm animaduerte interim lector quantum gratiæ & venuſtatis decedat comparationibus, quum eo quo oſtendi modo ſunt contractæ, & ſuis illis velut auctariis nudatę. Hac enim in re τὴν κριτικὴν δύναμιν obiter exercui.

cuisse nequaquam te pœnitebit.

Verùm, vt hunc sermonem missum faciam (cuius occasionem præbuit ille Seruii locus, in quo aut inconsideratè loquutus est, aut librarius peccauit) & de reprehensoribus eius de qua agitur comparationis pergam verba facere: ex iis profectò quæ attuli verbis, colligere possumus, enarratorem illum existimasse, non alia de causa reprehensam fuisse hanc comparationem, quàm quòd non omni ex parte congrueret. At ego potius crediderim, ideo fuisse qui illam carperent, quòd etiam prȩter decorum adhibitam iudicarent. nihil enim iuuenum cateruam cum magna virginum, & quidem nympharum, turba, Dianam circumstantium, commune habere. Donatus autem, tanquam non satis reginam illã decere ille iuuenum comitatus videri posset, scribit, *Et quia regina, id est procuratrix negotij publici, & quia ad templum accedebat, meretur excusationem, quòd publicè mulier iuuenis se viris admisceret. religio enim & necessitas impellebant.* Hæc quidem ille: sed aliud hoc tempore illo de loco non pronuntiabo, quàm istud: si propter non seruatum decorum notatus fuit, esse tamẽ quos iustius ea ipsa de causa simus reprehensuri.

Nam (vt ad eos quos dixi veniam) ego, qui alioqui Virgilio pro viribus aduersus plerosque criticos patrocinor, si criticus essem, mea censoria virgula tres comparationes tanquam decorum non seruantes, notarem. Earum vna est libro VII,

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubésque manus, mirata volubile buxum.

Dant animos plagæ.

Vtitur autem hac comparatione, de Amata (cuius facta modò fuit mentio) loquens, quæ bacchantium more vagari incipiebat. Ideóque verbis illis hæc annectit,

— non cursu segnior illo
Per medias vrbes agitur populósque feroces.

Quinetiam præcedunt comparationem illam duo isti versus, de eadem,

Tum verò infelix ingentibus excita monstris
Immensam sine more furit lymphata per vrbem.

Meo enim iudicio (siquis tamen ei locus esse hîc potest) in re tanta támque miserabili comparatio à re ludicra petenda non erat: quod nomen ludo etiam (præsertímque puerili) dare, cum omnium, vt spero, lectorum venia mihi licebit.

Sed erunt fortasse qui Virgilium à me reprehendi non posse existimabunt, quin eadem opera Tibullum carpam, vtpote eadem omnino comparatione vsum. Sed fallentur illi. πᾶν γὰρ τοὐναντίον, tam probo illam apud Tibullum, quàm apud Maronem improbo. Nam Tibullus curis amatoriis eam accõmodat, & duobus versibus complectitur. Suam enim elegiam ab hisce duobus exorsus,

Asper eram, & bene dissidium me ferre loquebar:
At mihi nunc longè gloria fortis abest:

subiungit istos,

Nanque agor vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Altera comparatio est quæ celebrem formicarum mentionem facit, Æn. IIII. Postquam enim dixit,

Tum verò Teucri incumbunt, & littore celsas
Deducunt toto naues: natat vncta carina:

Frondentésque ferunt remos, & robora syluis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes:

hanc comparationem subtexit,

Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum
Quum populant, hyemis memores, tectóque reponunt,
It nigrum campis agmen, prædámque per herbas
Conuectant calle angusto. pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigántque moras: opere omnis semita feruet.

Tertia, quæ vt apud illum præcedit (est enim primo in libro) ita præcedere hîc potuit, est ea quæ apum itidem sedulitatem & gnauitatem laudat. Vbi enim de Tyriis vrbem ædificantibus hosce versus cecinit,

Instant ardentes Tyrij, pars, ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subuoluere saxa:
Pars, aptare locum tecto, & concludere sulco.
Iura magistratúsque legunt, sanctúmque senatum.
Hîc portus alij effodiunt, hîc alta theatris
Fundamenta locant alij: immanésque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

hos de apibus per comparationem illis annectit: quorum postremi tres leguntur & Georg. libro IIII,

Qualis apes æstate noua per florea rura
Exercet sub sole labor, quum gentis adultos
Educunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redoléntque thymo fragrantia mella.

Ego in vtraque comparatione naturam horum animalium, vel potius animalculorum, prouidam, indu-

ſtriam, ſedulam, gnauam, laborioſam optimè deſcribi fateor, & ſedulitatis ac laborioſæ (vt ita dicam) alacritatis ergo eas conuenire loco haud inficior: ſed præter decorum tamen has quoque adhibitas cenſeo: quòd tam magnis tam parua componantur, vt eius vocabulo vtar. Et verò, ſi excuſatione ſibi opus eſſe putauit quum parua magnis compararet (quod tamen reprehenſioni minus eſt obnoxium) quanto magis, verba inuertendo, vtendum ea hîc fuerat? vt, ſicut dixerat Georg. IIII,

Non aliter (ſi parua licet componere magnis)

ita hîc diceret,

Non aliter (ſi magna licet componere paruis)

Sed haud ſcio tamen an vel excuſatio hæc adiecta tueri aduerſus illos accuſatores Maronem noſtrum potuiſſet. Minus enim (vti dixi) reprehenſioni eſt obnoxium, ſicut & minus odioſum, parua magnis cōparare, quàm à magnis ad parua per comparationem deſcendere. Audimus itaque magis patienter de apibus, *Magnanimóſque duces, totiúſque ordine gentis Mores & ſtudia & populos & prælia dicam*, & cætera huiuſmodi, quorum antea memini: quàm veris veri exercitus ducibus, aut quicunque ſedulò & gnauiter prouincię alicui à ſe ſuſceptę incumbunt, ex comparatione cum apibus aliquam, nō dicam magnanimitatis, ſed vel ſedulitatis & philoponiæ laudem inueniri, aut potius (quum dubium ſit an laus ex ea poſſit creſcere) quæri. Iam verò, ſi non perinde conceditur magna paruis vt parua magnis componere, quid quum à maximis ad minima deſcenditur? Ridiculum enim eſt quod à Seruio (tanquam obiectioni huiuſmodi occurrere volente, vt opinor) affertur, comparationem cum formicis (poterat autem & de comparatione cum apibus idem dicere) ad ſtudium, non ad

personas, respicere. Nam quis hoc nescit? an putauit ille
Virgilium in vllius tam amentis manus venturum vt
cum talibus (id est talium virorum) personis personas
talium animalculorum ab eo conferri existimaret? si
tamen & his personas licet tribuere.

Obiiciet fortasse quispiam, & apes & formicas (& has
quidem præcipuè) imitandas nobis non à poetis solùm
sed ab aliis etiam scriptoribus proponi. Hoc ego non
inficior, quum adhuc memoriæ Horatiani saltem de
formica versus hæreant: verùm, vt hominibus illa pro-
ponere exempla licet, & eos emendandi ac modo non
pudefaciendi causa, ad imitationem illorum animal-
culorum, id est, vigilantię, diligentiæ, sedulitatis eorũ,
remittere: ita homines vnde contrà cæteri exempla ta-
lium rerum petere possunt, sic laudare vt cum illis
animalculis comparare contenti simus, haud licere ar-
bitror. Ac ne istud quidem pro hoc facere loco dici
potest, quòd magna hominum multitudo, μυρμηκιὰ ali-
cubi vocetur: (cui loquendi generi habet noster sermo
quod respondeat) & Theocritus eodem modo μύρμακες
ἀνήριθμοι dixerit. Neque enim de quauis, sed potius de
cõferta vilium præsertim hominum turba hoc dicitur.

Vt igitur locum hunc concludam, & liberè loqui
pergam, tutius facturus fuisse mihi videtur Virgilius, si
illam cum Cyclopibus comparationem quã suis Geor-
gicis inseruit, Æneidi suę reseruasset: nec suas apes, sed
vel Tyrios, vrbem ædificantes, vel Æneæ socios, magna
& laboriosa alacritate, magno studio, magna cum sedu-
litate nauigationem suam accelerãtes, Cyclopibus illis
comparasset. Sed quidni experiamur quàm bellè locis
istis comparatio hæc aptaretur? Obstabit (dicet aliquis)
ille versus,

Non aliter (si parua licet componere magnis)

Immò verò ego, etiam quomodo istud quidquid est obstaculi, remoueri possit, docebo. Sed prius illos Georgicorum versus audiamus. Postquam igitur varia naturę apum prouidæ, gnauæ, laboriosæ, nobis exempla proposuit, ac tandem dixit feruere opus, & fragrantia mella thymo redolere, ab apibus ad Cyclopes (tanquam à muscis ad elephantos) ascendit: hoc modo,

Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maßis
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt reddúntque: alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna:
Jlli inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versántque tenaci forcipe ferrum.

Deinde ad redditionem comparationis, siue anaphorã, venit, illam quam dixi excusationem præfatus,

Non aliter (si parua licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor vrget habendi,
Munere quanque suo.

Hinc (inquam) ad illum primi Æneidos locum aptè (& quidem vel ipso Virgilio, si reuiuiscat, assentiente) trãslatum iri existimo Cyclopes vnà cum sua Ætna, quibus illic apes miserè terrentur. Quod si fiat, tunc totũ locum ita oportebit γράφειν, vel potius μεταγράφειν,

Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitúmque & strata viarum.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maßis
Quum prop. alij taur. foll. auras
Accip. redd. alij strid. tingunt
Æra lacu: g. impos. incud. Ætna:
Illi inter sese magna vi br. tollunt
In num. vers. tenaci forcipe ferrum:

Haud ſecus ardentes Tyrii, pars ducere muros,
Molirique arcem. &c.

Vide quàm facilè huic loco, tanquam ſibi debito, verſus illi inſerantur: nulla deinde alia mutatione facta, quàm illius hemiſtichij,

Inſtant ardentes Tyrij,
in hoc,
Haud ſecus ardentes Tyrij.

Nec verò minus aptè, ſed aptius etiam fortaſſe, illa Æneæ exclamatio verſibus iis qui de Tyriis ſcripti ſunt, ſubiungetur, quàm ſubiungebatur illis qui de apibus ſcripti erant. hoc videlicet modo,

Non ſecus ardentes Tyrij, pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus ſubuoluere ſaxa:
Pars, aptare locum tecto, & concludere ſulco.
Iura magiſtratúſque legunt, ſanctúmque ſenatum.
Hîc portus alij effodiunt: hîc alta theatris
Fundamenta locant alij: immanéſque columnas
Rupibus excidunt, ſcenis decora alta futuris.
O fortunati, quorum iam mœnia ſurgunt, Æneas ait.

Quòd ſi tamen quis illos Cyclopes, vnà cum Ætna, loco ſuo mouere velle, & in apum ſedem intrudere, putet eſſe τὰ ἀκίνητα κινεῖν: at certè, apes hîc relinquens, non minus hîc præfatiunculam, quæ ſimul excuſatiuncula ſit, adhibeat. id eſt (quemadmodum antea docui) ſicut ibi dixit,

—ſi parua licet componere magnis,

ita hîc dicat viciſſim,

—ſi magna licet componere paruis.

Sed hæc verba non ſine magna mutatione inſerentur: inquies. Immo verò, cum vnius tantùm epitheti, & quidem Virgiliani, adiectione: hoc pacto,

Qualis apes (si parua licet componere magnis)
Hyblæas æstate noua per florea rura
Exercet sub sole labor.

Sed quid altero illo faciemus loco, vbi Troianorum sedulitas & ad laborem alacritas esse talis dicitur qualis est formicarum? an hunc in locum Cyclopes illos vnà cum sua Ætna ἀναρπάστους ποιεῖν malemus? Nisi potius ἀναμοχλεύειν dicere debui. ad eam enim rem μοχλοῖς opus est, & quidem plurimis. Hoc si faciemus, non dubium est quin Troianis gratificaturi simus. Nostrum igitur est videre ab vtris gratiam inire malimus, à Tyriísne, an à Troianis, qui hîc Teucri vocantur. Sed quum maior his fieri iniuria videatur, ob eorum cõparationem cum formicis, quàm illis: quippe qui non itidem cum formicis, sed cum apibus conferuntur: (quarum fortasse corpuscula tanto formicarum corpusculis maiora dici possunt, quanto pygmæorum minora quàm hominum sunt corpora) his potius opitulandum censeo. Quid quòd Accio etiam & Ennio rem gratam faciemus, quum hîc cõparationem Virgilianam alii itidem Virgilianæ, quasi Virgilium Virgilio, commutabimus? Nam quum Accius de Indis dixisset,

It nigrum campis agmen:——

Ennius eadem de elephantis verba vsurpans, itidẽ dixit,

It nigrum campis agmen.

At Virgilius, tanquam illis non per parodiam sed per ludibrium abuti volens, ab elephantis ad formicas transfert:

It nigrum campis agmen, prædámque per herbas
Conuectant calle angusto.

Quod quum ita sit, quî commutatio illa fieri queat videamus. Paruo certè negotio fiet, si post versum illũ,

Migrantes

Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes:
ſcribamus hos verſus,

Ac veluti lentis cyclopes fulmina maſſis
Quum properant, ad finem vſque comparationis: loco illorum, *Ac veluti ingentem formicę farris aceruum Quum populant*, & ſequentium, qui hinc pendent.

Hoc tamen ſi facere nolimus, eandem ſaltem quam altero illo in loco præfari veniam oportebit. Sed quomodo aptam verbis illis πϱοσθήκην ſiue πϱόσθεσιν dabimus? Ita,

Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes.
Haud aliter (ſi magna licet componere paruis)
Æſtate ingentem formicæ farris aceruum
Quum populant, hyemis memores. &c.

In his mutationem vnicam, vnicam etiam adiectionẽ (vltra illam hemiſtichij πϱόσθεσιν) inuenies. Hæc autem eſt vocis *æſtate:* quæ eo magis conuenit, quòd velut antitheſin quãdam ad illud, *hyemis memores*, habere videri poteſt.

H V I C ego ſermoni, qui me iam per vnius pagellę ſpatium detinet, finem imponere cupiebam, quum ecce mihi aliam remoram. id eſt, alium ſcrupulum, qui me remoratur. Quum enim attentius hoc comparationis principium conſideraiſſem,

Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum
Quum populant,

animaduerti, eſſe eiuſmodi vt lectorem alicuius redditionis expectatione ſuſpẽſum teneret. Ac fecerũt certè cùm alii eiuſdem poetæ loci vt mihi facilius iſtud perſuaderẽ, tum ille ipſe qui eſt Georg. quarto, vbi cyclopes cum apibus (an potius, apes cum cyclopibus?) comparãtur. Ibi enim, quum ſimile ſit cõparationis principiũ,

Ac veluti lentis cyclopes fulmina massis
Quum properant,

habemus hanc antapodosin,

Non aliter (si parua licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor vrget habendi.

Atque hîc recordatus sum, mihi olim suspectum eadẽ de re locum fuisse: simúlque in memoriam mihi rediit quæ tum temporis (quum essem audacior) ad explendum illum, non vt redditionis Virgilianæ verba, sed vt sententiam tantùm diuinare conans, fingere ausus erã.

Primus igitur hic conatus fuit,

Non aliter, Teucri studiis concordibus ardent
Accelerare fugam.

Secundus conatus fuit hic,

Non aliter, Teucris studium simul omnibus vnum,
Approperare fugam

Tertius autem, iste,

Non aliter, Teucris labor omnibus vnus & vna
Festinare fugam cura est.

Quartus, hic,

Non aliter, Teucris opus vnum est, vna cupido,
Accelerare fugam.

Quintus, iste,

Non aliter, Teucris labor omnis & omnibus acer,
Approperare fugam.

Sed (malum) vt multos versus imperfectos ipsemet Virgilius reliquit, ita & mihi (vt ἐν τοῖς ἀτυχήμασι quàm ἐν τοῖς εὐτυχήμασι facilius est τὰ ὅμοια ἐκείνῳ πάσχειν) imperfectũ relinquere posteriorem contigit. Siue autem Virgilii mentem coniectura sum assequutus, siue ea alia fuit, hoc certè mihi nemo eripiet, aut illum non inchoasse suam comparationem ab his verbis, *Ac veluti*, aut il-

li redditionem aliquam vel adiecisse, vel adiicere in animo habuisse. Cæterùm, quoniam fugæ mentio apud ipsum poetam præcessit, siquem repetitio huius nominis offendit (quãuis id longiusculo interuallo pręcesserit) ei *fugam* in *viam* mutare per me licet. Scio autem idem mihi timẽdum esse & de duobus versibus, in quorum vno *studiis*, in altero *studium* vsurpaui: sed quamuis vnius tantùm vocis repetitio facilius veniam impetrare possit quàm duarum (quæ alioqui exemplis nec ipsa caret) tamen & optio vnius è cæteris tribus versibus illi à me datur.

Sed ecce, dum hæc scribo, & posteriorem illius redditionis versum à me relinqui imperfectum queror, venit in mentem quomodo integrum dare possim. Verùm & prioris verba muto: hoc modo,

Haud secus omni instant operi Troiana iuuentus,
Vt cursum accelerent, & diuûm iussa facessant.

Habes autem in hoc posteriore ἓν διὰ δυοῖν: quod tibi in lectione Virgilii versato nouum esse non debebit.

At redditioni tantopere illaborandum non erat, (dicet quispiam) quum ea carere locus hic posset. Immo verò istud mihi persuadere nullo modo queam, quum voces illas *Ac veluti*, vel *Ac velut*, orationem suspendere, nemo mihi (vt opinor) sit inficiaturus. Sic certè non in eo tantùm quem ex quarto Georgicorum deprompsi loco, sed alibi etiam suam illas habere antapodosin videmus. Nec verò longè abeundum est, vt exemplum inueniamus. nam ille ipse Æneidos quartus liber, cui talis redditio post voces illas deest, aliũ paulo post exhibet locum in quo eædem illæ eam habent. Hi enim ibi versus leguntur,

Ac veluti annosam valido quum robore quercum

Alpini boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in tartara tendit:
Haud secus, assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno persentit pectore curas:
Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

Quid? an, si nullam hîc redditionem haberemus, locũ ea posse carere, ac non pendere sententiam diceremus? Atqui, si antapodosis sequutura non fuisset, cur non potius, particula *Ac* omissa,

Annosam veluti valido quum robore quercum

dixisset? Obseruandum est porro in illa redditione (cur enim de hoc obiter non admoneam?) tertium hũc eius versum, *Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes*, respondere iis quæ de quercu dixit, ipsam hærere scopulis, & tantum radice in tartara tendere, quantum vertice ad auras: quamuis concusso stipite altè consternant terram frondes.

Sed vel vnus huius poematis liber, qui vltimus est, satis sufficere taliũ exemplorum potest. Ibi enim habes,

Ac velut Edoni boreæ quum spiritus alto
Insonat Ægeo, sequitúrque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere, fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacunque viam secat. &c.

Hoc item, adhibita redditioni eadem particula, sed ita vt sit traiecta,

Ac veluti, montis saxum de vertice præceps
Quum ruit, auulsum vento. &c.

nam hæc non longo sequuntur interuallo,

— disiecta per agmina Turnus

Sic vrbis ruit ad muros.&c.

Hoc quoque,

Ac velut ingenti Sila, ſummóve Taburno
Quum duo conuerſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt. &c.

hîc enim itidem iſta vides ἀνταπόδοσις,

Haud aliter Tros Æneas & Daunius heros
Concurrunt clypeis : ingens fragor æthera complet.

Eodem libro denique, duabus comparationibus eodē pertinentibus,(quarum vna alteri ſubiuncta eſt)& principium ab iiſdem verbis habentibus, vides vnicam redditionem dari. Poſtquam enim dixit,

Ac velut immiſſi diuerſis partibus ignes
Arentem in ſyluam & virgulta ſonantia lauro,
Aut vbi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in æquora currunt
Quiſque ſuum populatus iter:

addit,

—non ſegnius ambo
Æneas Turnúſque ruunt per prælia: nunc nunc
Fluctuat ira intus.&c.

At enim ſuperuacaneum videri poſſet, tot exemplorum autoritate niti (quum aliunde etiam ſatis notum ſit, vocem iſtam Velut, ſeu Veluti, voculæ Ac, quæ inchoatiua eſt, iunctam, orationem ſuſpenſam, vti dixi, tenere) ſi vnica illa comparatio cui ſuam antapodoſin dedi, anantapodotos inueniretur : ſed vnius ſaltem recordor loci qui etiam obiici mihi poteſt. Is eſt libro ſecundo,

Ac veluti, ſummis antiquam in montibus ornum
Quum ferro acciſam crebríſque bipennibus inſtant
Eruere agricolæ certatim : illa vſque minatur,

Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
Vulneribus donec paulatim euicta, supremum
Congemuit, traxítque iugis auulsa ruinam.

Neque enim quod proximè sequitur, redditioné habet: quum Æneas, suam narrationem prosequens, dicat,

Descendo, ac ducente deo, flammam inter & hostes
Expedior. dant tela locum, flammæque recedunt.

At hoc mihi eripiet nemo, vel redditionem isti quoq; loco deesse, vel eo quo paulo post dicam modo mutandum primum versum esse. Vero quidem certè absimile non est, Virgilium, sicut versus quosdam qui integri non erant reliquit, morte præuentus, ita etiam quosdam locos imperfectos reliquisse. Siquis me tamé roget vt huic quoque antapodosin comminiscar, sicut alteri sum commentus, Virgilianis hisce respondebo verbis, *Non opis est nostræ.* necnon istis, *Non omnia possumus omnes.*

Sed quid si aliud vtrique horum locorum auxilium inueniam? nónne & ita tuo, lector, desiderio satisfecero? Ipse saltem me illi satisfecisse existimabo. Tu igitur me autore facito vt particulam *ac* expungas, & ordine verborum mutato, primum illum versum ita legas,

Antiquam veluti summis in montibus ornum.

Tunc autem post præcedentem versum τελεία stigme ponenda non erit: quoniam comparatio illa præcedentibus erit annexa. hoc modo,

Tum verò omne mihi visum considere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troia:
Antiquam veluti summis in montibus ornum
Quum ferro accisam crebrísque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim. &c.

Nec verò plus negotii altero in loco fuerit. nam paru-

& in eo facienda erit mutatio: hoc pacto,

Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes:
Ingentem veluti formicæ farris aceruum
Quum populant.&c.

Atque hoc quum faciemus, alios eiusdem locos imitabimur, vbi cõparationi vocabulum illud adhibetur, nõ præcedente particula *ac*: & quum præcedentibus annexa sit comparatio, eius redditionem nequaquam expectare debemus. Ex illis autem locis est hic, libro quarto, de Didone,

—sempérque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra:
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.

Necnon iste, libro secundo,

Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta boúmque labores,
Præcipitésque trahit syluas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Nam vox *veluti* fertur ad verbum *stupet*: perinde acsi ita dictum esset,

Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto:
Vt stupet excelso saxi de vertice pastor
Ad flammæ sonitum, si fortè furentibus austris
Incidit in segetem.

Cæterùm, quoniam aliqui sunt loci in quibus quum

eodem quo hîc modo comparatio præcedentibus annecti, ideóque redditione carere posset, Virgilius tamé eam adiecit, postquam non *Veluti* sed *Ac veluti* dixit: & crediderim, eum in iis de quibus dictum est locis, & aliis (siqui sunt similes) redditionem omisisse, quòd præuideret posse ita mutari à se primum versum vt ostendi, si fortè nihil redditioni aptum in mentem veniret.

SED, vt ad illum tandem redeam sermonem de comparationibns in quibus decorũ minimè seruatum fuit, vel potius, quæ præter decorum adhibitæ fuerunt: non ignoro esse & alias quæ fortasse aliquid humilius aut, si nõ ταπεινότερον, saltem μικροπρεπέστερον, afferũt, quàm nonnulli lectores expectent. Nec dubito quin futuri sint qui istud dici posse de hoc loco existiment, Æneid. VIII,

Inde vbi prima quies medio iam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum: ceu fœmina, primum
Cui tolerare colo vitam tenuíque Minerua,
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes:
Noctem addens operi: famulásque ad lumina longo
Exercet penso, castum vt seruare cubile
Coniugis, & possit paruos educere natos:
Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo,
Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.

Nec dubium mihi est quin eodem in numero positturi sint aliqui hunc eiusdem locum, ex libro XII,

Nigra velut magnas domini quum diuitis ædes
Peruolat & pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parua legens, nidísque loquacibus escas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostes
Fertur equis, rapidóque volans obit omnia curru:

At ego aduerſus huius pariter & illius comparationis reprehenſores patrocinium pro Virgilio ſuſcipere, nedum eas velim reprehendere: ſic tamen vt illius potius quàm huius reprehenſores veniam mereri fatear. Sed quid ſi hanc comparationem, non tanquam aliquid nimis humile habentem carpat aliquis, verùm quòd in ea duo nimis diuerſi volatus inter ſe conferantur? Ego certè hyperboles tantam eſſe licentiam reſpondebo, vt hoc poſſe excuſare videatur.

Denique non de aliis (quarum quidem recorder) comparationibus meam cēſuram experietur Virgilius, quàm de duabus illis de quibus diſſerui. Sed ecce, quum iſti ſermoni de comparationibus quas contra decorum adhibitas eſſe exiſtimo, finem velim imponere, retinet me quidam metus, ne, ſi mea cenſura vexet Virgilium, Homerũ autem nõ attingat, hoc tanquã magis φιλέλλην quàm φιλορωμαῖος facere videar. quare muſcam aduerſus Homericã non minus quàm aduerſus apes & formicas Virgilianas criticum agam: id eſt, critici perſonam ſuſtinebo: aut critici officium vſurpabo. Abſit enim vt eum me eſſe putem qui de huius vel illius verſibus criticè pronuntiare poſſim.

Cæterùm eo libentius mea (qualiſcunque eſt) cenſura Homeri muſcam vexabit, quòd propemodum ſubeat vereri ne Homerica ad muſcæ audaciam deſcribendam audacia noſtrum Maronem ad illas de quibus dictum eſt cõparationes audacem reddiderit. ſi tamē ita de iis loqui licet qui magna paruis compoſuerũt (quod deſcendere eſſe videtur) ac non potius audacia eſt in componendo magna paruis: quod aſcenſum quodammodo habet. Sed prodeat tandem prodeat Homerus cum ſua muſca, quidquid ſit quod vel à me vel ab aliis

ea de comparatione iudicari debet. Audi igitur eius ex libro Iliados ρ versus,

Ὡς φάτο. γήθησεν δὲ θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Ὅττι ῥά οἱ πάμπρωτα θεῶν ἠρήσατο πάντων.
Ἐν δὲ βίην ὤμοισι καὶ ἐν γούνασιν ἔθηκε·
Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσιν ἐνῆκεν,
Ἥ τε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο,
Ἰσχανάα δακέειν· λαρὸν δέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.
Τοίου μιν θάρσους πλῆσεν φρένας ἀμφιμελαίνας.

Quem locum ita ex tempore & in ipso typographicæ officinæ strepitu sum interpretatus,

Dixit: & ad verba hæc exultans cæsia Pallas,
Atrides ipsam quòd primam in vota vocasset,
Indidit illiúsque humeris genibúsque vigorem:
Atque illi intrepidam mentem in præcordia misit,
Est qualis muscæ, quæ nostro à corpore pulsa,
Acrior ad morsum est, dulcedine capta cruoris.
Tanta dea subiit mittente audacia pectus.

Is autem qui adeo audax à Minerua est redditus, est Menelaus: adeo audax, inquam, vt ne musca quidem eo audacior dici posset. Quæ nescio quo vultu à te legentur, à me quidem certe sine risu scribi nequeunt: quo vel inuitus hanc comparationem excipio, & omnes omnium criticorum obelos effugisse valde miror. At musca, omnium animalium est audacissimum, κατ' ἀναλογίαν. id est, si proportio spectetur. Esto: sed quæ inter muscæ & militis fortissimi audaciam analogia esse potest? Deinde, quis scit an, quòd aliunde fugata, statim redit, ex audacia hoc ac non ex obliuione proficiscatur? Neque enim absimile vero est, id ex eo potius fieri quòd adeo sit obliuiosa vt quum se fugatam non meminerit, statim reuertatur. Quid si verò, credere, vel

tantillum memoriæ illi inesse, ineptire est?

Sed quocunque se res habeat modo, id quod muscę tribuit θάρσος Homerus, malè redditum fuit Vis, ab eo qui versus illos ita reddidit,

Atque illi muscæ vim intra præcordia misit,
Quæ quamuis de pelle viri sit sæpe repulsa,
Assultat morsura tamen.

Vim certè meritò dixisset, (quisquis ille est) si ab Homero βίην dictum fuisset: sed maiorem etiam sui reprehendẽdi materiam Homerus nobis præbuisset. Verùm, quum ille interpres vocem Latinam quæ Græcæ θάρσος respondet, suo aptare versui non posset, (vt opinor) ad illam confugit. Nec verò & mihi negotium exhibuisse inficior interpretationem illius nominis θάρσος: quum sonare audaciam constet, sed *audacia* tãtùm ingrediatur commodè hoc versuum genus, non etiam cæteri casus: & tamen hoc vnum habeant vocabulum Latini quod omnino respõdeat. Nam esse quidem & quod fiduciam illi appellant, haud inficior, sed hîc significare quod postea dictum fuit θράσος, extra controuersiam est. Ac etiamsi illa quoque voce vti liceret, at nihilo commodius hos versus eam ingredi quàm alteram, satis notum est. Quòd si ad periphrasin quis veniat, vix de musca Audax pectus, vix etiam Audacem vel intrepidam mẽtem dicere audeat: quod à me tamen dictum fuit. At Eobanus Hessus quomodo in huius loci interpretatione se gessit? Aliter quàm quisquam suspicari posset. nulla enim ab eo muscæ fit mentio. Quod ego tamen nunc primùm cognoui, quum scire percuperem quomodo hos versus interpretatus esset. Ita igitur ille,

Hu animo lætata hilari fuit innuba Pallas,
Se primum ante alios, sua numina prima vocari

Mox genua atque humeros Menelai robore fulsit
Præcipuo, audacique animum virtute repleuit,
Humani cohibens affectus corporis omnes
Parte bona, prudens inserta audacia, diuæ
Ingenio leni & placido.

Hîc certè nescias vtrum magis mirari oporteat: an quòd ita sui autoris muscam dedignatus sit vt nullam prorsus mentionem eius fecerit: an quòd ænigmatica quædam in eius locum substituerit. Sed ad ipsum Homerum redeo, cuius comparationē illam eo magis est cur miremur, quòd eum ipsum quem cum musca confert, quod ad audaciam attinet, cum leone in eodē libro, tum in præcedentibus, tum in sequentibus, comparet. Tribus enim in locis hoc facit: quorum vnus est hic,

Ὡς δ' ὅτε τίς τε λέων ὀρεσίτροφος, ἀλκὶ πεποιθὼς,
Βοσκομένης ἀγέλης βοῦν ἁρπάσῃ ἥτις ἀρίστη,
Τῆς δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσι,
Πρῶτον· ἔπειτα δέ θ' αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει
Δῃῶν· ἀμφὶ δὲ τόν γε κύνες τ' ἄνδρες τε νομῆες
Πολλὰ μάλ' ἰύζουσιν ἀπόπροθεν, οὐδ' ἐθέλουσιν
Ἀντίον ἐλθέμεναι. μάλα γὰρ χλωρὸν δέος αἱρεῖ·
Ὣς τῶν οὔτινι θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἐτόλμα
Ἀντίον ἐλθέμεναι Μενελάου κυδαλίμοιο.

Vide quantam nobis ante oculos ponere voluerit Menelai audaciam, quum illum leoni comparet aduersus quem omnes sint inaudaces. Sed in gratiam lectorum non satis ἐλληνισθέντων, Eobani Hessi interpretationem proferre non pigebit.

Qualis ab aerio digressus vertice montis
In stabula alta leo furit, aut pascentia lætis
In campis armenta boum pro viribus audax

Inuadit: primúmque ingentis corpora tauri
Aggreditur, toto cum sanguine viscera pascens
Dilaniat, canibus latrantibus, vndique circum
Concursante manu pastorum: non tamen ausi
Aut conferre manum, aut propius consistere: verùm
Iam non audaces animos timor occupat ingens.
Sic nemo Menelae tibi Lyciûmve Phrygúmve
Audebat conferre manum.

Sed in posteriore parte omittit illa verba, Πολλὰ μάλ' ἰύζουσιν ἀπόπροθεν: quorum tamen pulchram vel ipse Virgilius ei suppeditabat in alia quadam comparatione interpretationem: & quidem talem vt vel verbum verbo posset reddere. Canit enim libro x, de apro,

Nec cuiquam irasci propiúsve accedere virtus:
Sed iaculis tutísque procul clamoribus instant.

Hunc enim locum imitans, dicere hîc poterat,

Sed propius canibus non est accedere virtus,
Non pastori vlli: tantùm clamoribus instant.

Illud etiam quod de ipso leone dicitur, *pro viribus audax*, multi non ita accipient fortasse vt ipse accipi voluit: potiúsque ita scribendum (meo quidem iudicio) fuerat,

—aut pascentia lætis
Armenta in campis, tantis pro viribus audax,
Inuadit.

Quid quòd in duobus eiusdem libri locis, iterum leoni illum, etiam in ferendis retro vestigiis, comparat? Canit enim,

Ἐντροπαλιζόμενος, ὥστε λῖς ἠϋγένειος,
Ὅν ῥα κύνες τε καὶ ἄνδρες ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται
Ἔγχεσι καὶ φωνῇ.

Et circa finem eiusdem libri,

—— ὐδ' ἀπίθησε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος·

Βῆ δ' ἰέναι, ὥς τίς τε λέων ἀπὸ μεσαύλοιο,

Ὅς τ' ἐπεὶ ἄρ κε κάμῃσι κύνας τ' ἄνδρας τ' ἐρεθίζων,

Οἵ τέ μιν οὐκ εἰῶσι βοῶν ἐκ πῖαρ ἑλέσθαι,

Πάννυχοι ἐγρήσσοντες. &c.

Hoc quoque addo, vix esse vllum totius poematis librum in quem plures & sua grauitate aut etiam maiestate digniores audaciæ comparationes congesserit. Nam vel hac quid sublimius fingi potest?

Οὔτ' οὖν παρδάλιος τόσσον μένος, οὔτε λέοντος,

Οὔτε συὸς κάπρου ὀλοόφρονος, ὅτε μέγιστος

Θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι περὶ σθένεϊ βλεμεαίνει,

Ὅσσον Πάνθου υἷες ἐϋμμελίαι φρονέουσιν.

Quos versus idem ille interpres ita Latinos fecit,

—— nec pectore pardus

Tam ferus est; vis magnanimi non tanta leonis,

Nec suis indomiti: quos & furor efferat, & vis

Toruos esse facit: quantum se Euphorbus ab hasta

Arte ferox iactat.

Sed multum de sua vi amittit illa comparatio, ita eam interpretando, & non vtendo vna eademque voce de tribus illis feris animalibus: sicut vnam apud Homerum communem illis habemus. Vt omittam, velut dissipari quod apud Homerum tanquam confertum est. Videndum igitur annon, vt pressior erit sermo, sic etiam futura sit res expressior, ita principium illud vertendo,

Tanta leoni haud est, haud tanta ferocia pardo,

Haud tanta est apro.

Vel ita,

Haud animos adeo pardúsve leóve feroces,

Haud gerit hostis aper.

Quid ni verò & hîc audaciæ appellatione, adiecto e-

etiam epitheto, vtemur? Id autem hoc fieri modo poterit,

Haud adeo effrænis cuiquam est audacia pardo,
Haud tanta est apro, haud vlli est tanta leoni.

Scio me in meo Thesauro Græcæ linguæ aliis etiam modis significantissimum hoc vocabulum μένος interpretatum esse: verùm non omnes huic conuenire loco possunt.

Sed quorsum, in mentione illius cum musca comparationis, aliarum tot, quæ Homericæ itidem sunt, mentionem facio? Nimirum vt eadem opera Homerum cum Homero in vnius eiusdémque rei descriptione comparem, & multitudine comparationum eius, quę vt μεγαλοπρεπεῖς, ita etiam sunt decentes, vnam, sicut μικροπρεπῆ, ita & indecentem, opprimam.

Euge, Homere, euge: vnico de musca versu longi sermonis pariter & risus materiam mihi præbuisti. Hic autem risus non dubito quin hodie mihi cum aliis quamplurimis sit communis. Ad superiorum autem ætatum homines quod attinet, vnus certè eorum qui intermedio seculo vixerunt, Lucianus, magni etiam encomii muscæ materiam tuo illo ex versu arripuit. Eum enim tanquam oraculum quoddam nobis proponens, velut pro fundamento illius encomii substrauit: & interim tamen te tacitè subsannans (vt dignam scilicet mercedē tibi autori suo persolueret) illius audaciæ quam muscæ tribuis auspiciis ad scriptionem illam factus est audax. Simul verò tua tam asymmetros & tam à decoro abhorrens comparatio poetæ Latino, tui æmulo, licentiæ in hoc genere non tantæ quidem sed magnæ tamen exemplum præbuit. Ac mirum ni hæc verba in iocularе prouerbium abeant, HOMERICA

MVSCA AVDACIOR. Verùm Palladis aduersus te μῆνιν vereor, cuius beneficium ita extollere simul & eleuare volueris. Sed quis mihi μυιοσόβην dabit, vt ea tuam muscam à memoria mea procul abigam, miniméque ex ea elephantem etiam fecisse dicar?

EST poetis interdum sua quædam in scribendo lasciuia, quæ decoro repugnat: ac præsertim si poematibus adhibetur quorum non serium modò sed graue etiam sit argumentum. Quamuis autem Naso hoc laborare vitio iudicandus sit potius quàm Maro, (quum Nasonis fuerit, ingenio suo indulgere malle quàm tépe rare) non defuerunt tamẽ qui & Maronem hoc nomine alicubi reprehenderint: & eo vsque ventum est vt eti mutata fuerit cuiusdam versus eius scriptura, qua corrigere sibi videbantur quam sibi fingebant lasciuiam. Nam quum scripsisset Æneid. IIII, de Didone,

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem:

illi, *Cui pharetra ex humero*, scribendum censuer... Atqui considerandum illis erat, lasciuiam non esse in describẽdo ornatu quem habuisse illam verisimile est, & quem decuisse illam habere certum est: quum Dido (vt etiam Pierius obseruauit) pulcherrima tunc esse studuerit, vt Æneæ placeret: ideóque ornatissima & quammaxime diuite habitu processerit: quinetiam cul tui muliebri hoc lasciuiæ poeticæ genus (si tamen i hîc quoque loquendum est) mirificè conueniat. Cu verò dare huic loco veniam recusant, quum alii eiusd poetæ minus ea digno illam non denegent? Legimu enim libro septimo,

Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Et in octauo,

Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis.
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur.

Quinetiam in vndecimo,

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydémq; sinúsque crepantes
Carbaseos fuluo in nodum collegerat auro.

Ideo autem Nasonianam esse habitam hanc figuram ait, quòd apud eum legamus,

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ.

& tamen Ouidium sequi volenti scribendum fore potius *ex humero* quàm *ex auro*, in eo de quo agitur Maronis loco: quoniam de Atalanta canit ille,

Crinis erat simplex, nodum collectus in vnum.
Ex humero pendens resonabat eburnea læuo
Telorum custos.

Sed valeant (inquit) *cum suo tam acri iudicio támque emunctis naribus pulchelli isti critici: nos lectionem hanc, Cui pharetra ex auro, antiquorum penè omnium codicum testimonio corroboramus.* Tandem verò Donati etiam & Probi autoritate lectionem hanc confirmat.

Iam verò & qui illos de Camilla versus, quorum initium est, *Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina*, tanquam à Maronis grauitate atque adeo maiestate alienos reprehenderunt, (vt docui pagina huius libri XLIII) necnon alios (de quibus à me circa eundé locum dictum fuit) eadem de causa culparunt, nónne decorum ab eo nequaquam seruari existimarunt?

Quinetiam ij qui versus illos in quibus virum fœminæ, Æneam Helenæ, irascentem facit, ex eius poema-

te detrahere ausi sunt, in hanc partem eum peccasse iudicarunt. Sed hac de re paulo pòst à me dicetur, vbi de iis qui illum repugnantia alicubi scripsisse dixerunt sermo erit.

Inuenti sunt denique & qui rationem decori eum alicubi habuisse negarint, in iis quæ personas loquentes introducit. Quem in errorem procliues posteriores eo poetas fuisse scimus, sed tamen ita vt & ipsi nimium præcipiti iudicio nonnunquam huius erroris damnati fuerint.

EX IIS autem qui Maronem alicubi non constare sibi dixerunt, Tuccam & Varum fuisse dicere possumus: si quidem verum est quod à Seruio scribitur, ideo detractos ab illis fuisse versus ex secundo libro (eorum autem duorum & viginti mentio à me facta fuit pag. XLVIII & XLIX) quoniam in iis scribebatur, Helenam in domo Priami fuisse: quod contrarium erat ei quod in sexto traditur, in domo Deiphobi inuentam fuisse, postquam summa ex arce Græcos vocauerat. Sunt porro ij sexti libri versus, quorum principium est

— nihil ô tibi amice relictum est:
Omnia Deiphobo soluisti & funeris vmbris.
Sed me fata mea & scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis.

Sed, vt antea, ita nunc quoq; hortator tibi sum vt super hac quæstione illam quæstionem Virgilianam consulas. Eius enim autor primùm quidem ostendit, tantum abesse vt illi vigintiduo versus è libro secundo tolli ab ipsis deberent, vt potius qui in sexto repugnare his videntur, expungendi essent: si quidem hos vel illos expungi necesse foret. Quum enim Virgilius nihilo magis sextum quàm secundum emendarit, potius in sexto

quàm in ſecundo commiſſum fuiſſe errorem (ſiquis cõ-
miſſus fuit) debere nos ſuſpicari, ex eo quòd cæteri poe-
tæ ea minimè tradiderint quæ de Helena à Dei-
phobo in ſexto dicuntur: contrà autem, quæ Æneas in
ſecundo ait, cum iis quæ tradita ſunt ab aliis, planè con-
ſentiant. Quinetiam addit, illos decem & octo ver-
ſus poſſe ex ſexto eximi, & fore vt oratio illis exemptis
nihilominus cohæreat, nihílque prorſus deficiat aut
deſideretur. Sed tandem, neutros verſus detrahendos
fuiſſe, vel eſſe, oſtendit: aítque concludi debere, Virgi-
lium non eſſe ſibi contrarium, ſed Æneæ Deiphobum.
perſonam enim cum perſona, non ipſum poetam ſe-
cum componi. Æneam autem ipſum hac in parte, verũ,
falſum contrà Deiphobum dicere. Talia tamen illum
qualia ſentiret, etiam loqui: ita vt conſtet à poeta ideo
eſſe poſita, quia quum introduceretur Deiphobus, per-
ſonę ſeruiendum fuit illius qui veritatem rei ignorans,
talia non ſuſpicari modò ſed credere facilè poterat (niſi
fortè fallere illum ac mentiri potius velimus) non au-
tem ideo vt pro veris illa nos accipiamus.

Et hæc quidem, aliáque, aduerſus eos qui illorum lo-
corum repugnantiam obiiciunt. Quoniam autem aliã
quoque Seruius rationem affert ob quam detracti ver-
ſus illi fuerint, quòd videlicet viro forti turpe ſit iraſci
fœminæ (quæ reprehenſio eum decori non ſeruati a-
pertè accuſat) illi ad hoc etiam quod reſpondeat ſuppe-
tit: & ita quidem vt dicat, inter cætera, & probet, vel
taxandum poetam non eſſe, ſi Æneam paulo etiam lõ-
gius quàm fortis ac ſapientis viri cogitata ratio poſtu-
laſſet, progreſſum induxit, & ferocem animo iuuenem,
& pio dolore ac iuſtiſſima iracundia ad expetendas cru-
deliſſimi ac luctuoſiſſimi patriæ excidii pœnas excitatũ

atque inflammatum: aut totum quartũ librum esse delendum, in quo non iam iræ, sed cupiditatum eiusmodi quarum incontinentia multo sit turpior, intemperantiorem introducit.

SED, vt de locis qui repugnantiæ accusantur, pergam disserere, nonnullos temere accusatos esse constat, ab iis qui ignorarent quatenus poetę contraria sibi ipsi dicere liceret. Legimus enim apud Platonem, libro De legibus quarto, in Atheniensis hospitis persona, Cliniá alloquentis, Παλαιὸς μῦθος, ὦ νομοθέτα, ὑπό τε ἡμῶν αὐτῶν ἀεὶ λεγόμενός ἐστι, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι ξυνδεδογμένος, ὅτι ποιητὴς, ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς μούσης καθίζηται, τότε οὐκ ἔμφρων ἐστὶν, οἷον δὲ κρήνη τις τὸ ἐπιὸν ῥεῖν ἑτοίμως ἐᾷ· καὶ, τῆς τέχνης οὔσης μιμήσεως, ἀναγκάζεται, ἐναντίως ἀλλήλοις ἀνθρώπους ποιῶν διατιθεμένους, ἐναντία λέγειν αὑτῷ πολλάκις· οἶδε δὲ οὐδ᾽ εἰ ταῦτα οὔτ᾽ εἰ θάτερα ἀληθῆ τῶν λεγομένων. Vbi μῦθον non pro fabula sed pro sermone accipiendum puto: veluti quum, οὐκ ἐμὸς οὗτος ὁ μῦθος, dicitur. Totum autem hũc locum sic interpretor, *Vetus est sermo, ô legislator, qui & nobis ipsis est in ore, & ab aliis omnibus est comprobatus, poetam, quum in musæ tripode sedet, non esse mentis compotem, sed, tanquam fontem quendam, vt, quod superuenit, sine vllo obstaculo fluat permittere: ac, quũ ars ipsius sit imitatio, cogi, dum homines contrariis affectibus præditos introducit, sæpenumero sibimet ipsi contraria dicere.* Quod quum ita sit, non mirum est si Virgilius (vt sub eius nomine de aliis etiam dicam) modò tanquam Epicureus, modò velut Stoicus loqui credatur: neque est quòd eum propterea dissidere à seipso dicamus. Huc autem pertinet quod à Seruio scribitur in hunc locum libri Æneidos decimi,

Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est æui:

poetas pro qualitate negotiorum sectis philosophorum vti, nec se vnquam vni adstringere, nisi quorum hoc propositum sit: vt fecit Lucretius, qui Epicureos tantùm sequutus est. Quum autem inter sectas contrariæ sint opiniones, hinc fieri vt in vno eodémque poeta cõtraria nonnulla inueniantur, non ex ipsius vitio, sed ex discordia sectarum. Atque hoc loci istius & alîus qui ei contrarius est, exemplis cõfirmat. Nam quum in quarto de Didone dixisset,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem:

hoc in libro ista illis repugnantia loquitur,

Stat sua cuique dies.

Sed illic ex Epicureorum sententia (inquit) loquutus erat, qui casibus omnia concedunt: hîc Stoicos sequitur, qui fatorum statuta seruari dicunt.

HÆC quidem ille: sed cur excusandus hîc est Virgilius, quum ne digna quidem sit talis accusatio quę audiatur? Ego quidem certè, quum alioqui fatear, obiectioni eorum qui repugnantia aut saltem dissentanea loqui poetam quempiam clamant, ita posse interdum occurri, vt diuersis in locis diuersas philosophorũ sententias sequutus esse dicatur: inter eos de quibus nunc agitur, ne vllam quidem repugnantiæ vmbram velim agnoscere. Eo autem libentius quæstionem hanc non tractabo solùm, sed pertractabo, quòd ex iis quæ dicam multæ super aliis multis eiusmodi locis quæstiones eadem opera solui poterunt. Vt igitur omittam, à nullo poeta & frequentiorem & magis honorificam summæ fati seu fatorum potestatis mentionem fieri potuisse, ideóque non esse verisimile, vnum relinquere versum voluisse qui aliis tam multis posset opponi, ne ipsa qui-

dem verba vllam repugnantiæ ſuſpicionem, ſi attentè conſiderentur, dico afferre: aut, ſi repugnantia ſit loquutus, idem Homero eadem in re contigiſſe. Sicut enim dixit de Didone, *quia fato non peribat*, ita Homerus aliquem ὑπὲρ μοῖραν ad orcum deuenire.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,

inquit. Quid porro aliud eſt, Non peribat fato, quàm, ὑπὲρ μοῖραν peribat? Sic autem Homerus Iliad. libro υ, loquitur,

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι.

Atqui canit alibi idem Virgilius,

Stat ſua cuique dies: breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt æui.

Itidem Homero obiicietur, ab illo cani eiuſdem poematis libro ζ,

Μοῖραν δ' οὔτινά φημὶ πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.

vbi etiam μοίρας appellationem poni videmus (quum illic fati potentiam Virgilius deſcribat, non poſita tamē eius appellatione) ita vt illud ὑπὲρ μοῖραν contrarium illi quod hîc dicit, eſſe videatur. Quomodo enim aliquis ab eo dici poteſt ad orcum deuenire ὑπὲρ μοῖραν, id eſt præter fatum, ſi omnes ideo illuc deueniunt, quia nemini effugere μοῖραν datur? Ac tantum certè abeſt vt μοῖρα ſit euitabilis, vt etiam μοῖραν ἀναπλῆσαι à poetis dicatur qui mortem obiit, vt Latinè Fatum vel fata implere, vel fata ætatis ſuæ, aut fatales annos. Hîc reſpondendum, μοῖραν interdum ἀπὸ τῆς τύχης (id eſt, fatum à fortuna) diſtingui: & ad μοῖραν quidem quod attinet, ſeu τὸν τῆς μοίρας θεσμὸν, id eſt, fati legem, à nemine euitari poſſe mortem (atque hoc eſt quod poeticè dicitur, Omnes lege fati, ſeu fatali, teneri) ſed fortunam & mortis tempus & mortis genus aliud quàm quod fatale erat, non-

nunquam hominibus dare. Ac genus q[...]em mortis aliud dat, quum quis morte non naturali ſed violenta interit, & ea tamen eiuſmodi vt fortuita vocari poſſe videatur. Aliud verò tempus mortis fortuna dare dici poteſt, quum alicui talem mortem antè immittit quàm fata eum mori permitterent, ſuum naturæ curriculum relinquendo. Atque hinc ſunt illa, apud poetas præſertim, *Accerſere fatum*, *Accelerare fatum*, vel *præuertere*. Item, *Abrumpere fatum*. Seneca autem dixit etiam, *Abrumpere ſua fata*, in Hercule OEtæo,

Natum relinques, fatáque abrumpes tua?

Vbi fatorum appellatione fatalia vitæ ſtamina intellexiſſe exiſtimatur. Interdũ etiam additur qui ablatiuus vocatur caſus, declarans quo id modo aut quo inſtrumento fiat: veluti quum dicitur, *Accerſere ſibi fatum ferro*. Sic à L. Floro quoque dictum fuit, *Præcipere fata veneno*. Illis autem opponitur, *Fatum* ſeu potius *fata*, aut *Fatales annos implere* (quod Tibullo eſt *Fatales annos explere*) eodem modo quo Græci μοῖραν ἀναπλῆσαι dicunt. Sed & cum adiectione ab Ouidio dictum fuit, *Fata ætatis ſuæ implere*. Opponitur illis & *Fato cedere*, ſeu *concedere*. Item, *Fato fungi*: & *Ad fatum venire* ſeu *ad fatum ſuum*. Ac ſicut *Fato cedere*, ita etiam *Naturæ cedere* dicitur. Sed quum illorum, Accerſere fatum, Accelerare fatum, vel præuertere, & reliquorum huiuſmodi, ab Homericis poematibus, tãquam fonte, materia ſumpta dici queat, libet, ad præcipuum illum locum, in quo ὑπὲρ μοῖραν legimus, accedere, & eum diligenter expendendum proponere. Is igitur extat Iliados libro υ, vbi Neptunus Æneam his compellat verbis,

Αἰνεία, τίς σ' ὧδε θεῶν ἀτέοντα κελεύει
Ἀντ' Ἀχιλλῆος πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι,



Ὃς σεῦ ἅμα κρείσσων καὶ φίλτερος ἀθανάτοισιν.
Ἀλλ' ἀναχωρῆσαι ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ,
Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.

Vbi Eobanus illum postremum versum ita reddidit, *—ne sorte maligna Præuenias magni tibi debita tempora fati, Ante diem moriens.* Sed totius loci interpretationẽ ex eo dare tibi libet. Audi igitur.

—quis te deus, inquit,
Impulit, Ænea, quò congredereris Achilli,
Tam valido? cui sis bonitate & viribus impar,
Qui superis etiam te longè est charior ipsis.
Sed tibi magnanimus quoties occurret Achilles,
Ne steteris, fuge, cede viro: ne sorte maligna
Præuenias magni tibi debita tempora fati,
Ante diem moriens.

Qua tamen interpretatione cõtentus non ero, sed hanc meam, vt breuiorem, ita etiam magis Homeri verbis adstrictam, tibi adiiciam.

Quis deus, Ænea, malè sanum hortatur Achilli
Nunc conferre manum? longè quum viribus ille
Te superet, quum cælitibus sit charior ille?
Immò, si occurras, retro vestigia ferto,
Ne, præter fatum, Ditis nigra atria visas.

Quod autem hîc ὑπὲρ μοῖραν, alibi ὑπὲρ μόρον dixit, & quidem in duobus contiguis versibus, illis verbis vtens. Operæpretium autem fuerit & locum illum, ad ea quæ dixi, intelligenda, considerare. Audimus igitur non procul à principio libri primi Odysseæ dicentem hæc cæteris diis Iouem,

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Ὡς καὶ

Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον, Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστὴν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα·
Εἰδὼς αἰπὺν ὄλεθρον. ἐπεὶ πρό οἱ εἴπομεν ἡμεῖς,
Ἑρμείαν πέμψαντες, εὔσκοπον, ἀργειφόντην,
Μήτ' αὐτὸν κτείνειν, μήτε μνάασθαι ἄκοιτιν.
Ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο,
Ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ τε καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης.
Ὣς ἔφαθ' Ἑρμείας. ἀλλ' οὐ φρένας Αἰγίσθοιο
Πεῖθ' ἀγαθὰ φρονέων· νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀπέτισε.

Quos versus ita reddidit Simon Lemnius,

O dij, quàm sæuè mortales numina primùm
Incusant, causásque sibi fontémque malorum
E nobis pendere putant, atque aspera rerum,
Quæ veniunt: sua quum pereant ob facta scelesti,
Ac præter fatum cumulent sibi corde dolores,
Atque infanda sua malefacta libidine tentent.
Testis & Ægisthus, qui præter fata maritam
Atridæ duxit magno cum crimine sponsam,
Aduectóque viro traiecit corpora ferro,
Haud fati ignarus, pœnæque ob facta necémque.
Nanque Atlantiaden cœli demisimus arce
Mercurium, letho qui quondam strauerat Argum,
Vt cædem Ægisthus fugiat, prædicere iussum:
Néve neci mittat regem, neu ducere sponsam
Audeat Atridæ, scelerato cedat amore.
Exorietur enim Pelopeius vltor Orestes,
Vt primùm florens teneris pubescet ab annis
Ora puer primam signans intonsa iuuentam,
Imperiúmque patris, sedémque orásque requiret
Argolicas hæres, magnóque incensus amore
Iam patriæ terræ, regnum sibi poscet auitum.
Sic Atlantiades. at non aut pectora dictis

Ægisthi, aut potuit crudelem auertere mentem,
Vtilia exhortans. ergo pro crimine pœnas
Nunc dedit ille suo, & pœna sibi fata peregit.

Hæc Lemnii est interpretatio tam insignis loci: de qua vel ob prolixitatem molesta aliud quàm hoc non dicá, nullú versum minus venia dignum mihi videri, quàm postremum: quum quod ab Homero negatur, id ipse in versu illo dicat, his verbis, *& pœna sibi fata peregit.* Negatur (inquam) istud ab Homero, itidémque ab ipso, quum versu quinto dicit, *Ac præter fatum cumulent sibi corde dolores.* Sed & hoc miror, quàm vel vmbram fatorum subesse his verbis iudicauerit, — νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀπέτισε. Hæc igitur faciunt vt hìc quoque frustra vicariam interpretis operam quæsiuerim: quú nihilominus, quem subterfugisse me credebam laborem, subeundú mihi esse videam. Neque tamé eo defunctoriè omnino & leui brachio defungar, sed quãtulum temporis meo penso suffurari potero, totum id bona fide illi impendam.

Te igitur ad audiendam illam quoque meam interpretationé vocabam, quú inueni quod mihi scrupulum iniiceret. Sed ecce illum iam euulsum. accede igitur: neque verò, tanquam auditor tantùm, sed etiam tanquá criticus futurus, (quum ampla & hîc critices sit materia, & in media dissertatione de criticis & de critica facultate verseris) non minus attentum animum quàm attentam aurem prębe.

Proh, quo humana omnes maculat gens crimine diuos.
Nam mala tot nobis hæc imputat: in mala quamuis
Ex scelere ipsa suo, fatum quoque præter, agatur.
Nunc adeo Atridæ est Ægisthus ducere nuptam
Præter fatum ausus, redeuntem & tradere letho.

Præſcius exitij. ſiquidem Cyllenius illum
Noſtris præmonuit verbis ne vellet Atriden
Tollere, neu thalami vellet conſorte potiri.
Addidit, vltorem venturum illius Oreſtem,
Quum iam puberibus patriam remeaſſet in annis.
Ægiſthum hæc noſter monuit Cyllenius: at non
Conſilio illius mentem eſt inflexus amico.
Contigit ergo illi cumulatè nunc dare pœnas.

Habes igitur meam quoque verſuum illorum interpretationem: quæ ſaltem haud moleſta itidem ob prolixitatem eſſe poterit. Multis autem facturum me rem gratam puto, ſi ea etiam quæ Euſtathius hunc in locum ſcribit interpretatus fuero: quum minimè vulgaria ſint, nec οἴκοθεν (vt opinor) ab eo allata, ſed ex aliquibus vetuſtiſſimis commẽtariis deprompta: quum etiam (quod præcipuum eſt) ad ſolutionem eius in qua verſamur quæſtionis multum faciant. Homerus Iouem (inquit) facit adducentem in diſceptationem philoſophicum theorema, an ærumnæ & calamitates fato hominibus contingant: an præter fatum, ex peruerſis illorum moribus eueniant. Soluit autem ipſum per quandam antiparaſtaſin, adminiculo particulæ Etiam: dicens, non vniuerſaliter & abſque diſtinctione accuſandum eſſe calamitatum ipſum fatum: ſed reſpondendum, quaſdã earum à Ioue, id eſt, à fato, quaſdam à corruptis eorum moribus proficiſci. Nam Hippolytus quidem iniuſtè à Venere malis fuit affectus: & Hercules immeritò multas ærumnas pertulit, quum Iunonis ira illum perſequeretur & exagitaret: & Bellerophontes, quum ſenectæ ętate ex atra bili ad inſaniã redactus eſſet: & Euchenor, apud Troiam moriens, quòd alioqui & domi interire morbo neceſſe illi eſſet: & Vlyſſes, in ſuis erroribus, in-

finitis malis conflictatus: & ſiqui alij hoc in numero ponendi ſunt, illis improbitas & naturæ peruerſitas malorum cauſa non fuit. Sed ſi Ægiſthus, Mercurio interdicente illi ne Agamemnonem interficiat, & vxorem eius ſuam faciat, ei non eſt dicto audiens, atque interficitur: & Vlyſſis ſocij pereunt, poſtquam Solis boues, paſtum (quod vetitum illis erat) ſibi fecerunt: & Achilles, quum poſſet apud Phthiam commorari, & diu ibi viuere, veniens Troiam, moritur: & Alexander, OEnones thalamum aſpernatus, rapta Helena, multa aduerſa perfert: & Elpenor, vino grauatus, cadit & ceruicem frangit: hi mala patiuntur ἐξ οἰκείας ἀτασθαλίας. Hæc ille. Vbi, quod de particula καὶ dicit, ea quęſtionem illam ſolui, apertius fuerit ſi eam cum his verbis ὑπὲρ μόρον iungi intelligamus. (quod ſequens, ita verti, *in mala quamuis Ex ſcelere ipſa ſuo, fatum quoque pręter, agatur*) Alioqui poſſit & cum σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν (quoniam illa longiuſculè ſunt remota) intelligi iuncta, eodem manente ſenſu. Eſt verò & hoc conſiderandum, in iis quæ proponit exemplis, non videri cõuenire omnibus vt ἀτασθαλίαν ſcelus aut ſcelera, ſiue ſceleratam vitam interpretemur. Quid enim? an ἀτασθαλίαν vocabimus in Elpenore, ad ebrietatem vſque potare? Iis profectò qui hoc dicerent, nationes quædam & πανδημεὶ & fortaſſe (ſi neceſſe foret) πανστρατιᾷ etiam repugnarent: ipsíque adeo Gręci, ex quorum largis compotationibus & Gręcari & Pergræcari orta ſunt, ſi reuiuiſcerent, illud negarent ac pernegarent: quum ne ipſi quidem Lapithæ, ob illud ſuum adeo ebrioſum & ob ebrioſitatem ſanguinolentum conuiuium, ἀτάσθαλοι (quod ſciam) fuerint vocati. Quid igitur de vocabulo illo dicendũ eſt? A me apud ipſum quidem Homerum, redditum

fuit Scelus, quum etiam ad versus illius numeros accõmodata esset hæc interpretatio: sed apud ipsum scholiasten verti etiam Improbitatem & naturæ peruersitatem: necnon Peruersos mores, item Corruptos mores: (addere autem poteram & deprauatos: vt à Cicerone hæc coniunguntur) verùm vbi de Elpenore etiam dicitur, tantùm ad ebrietatem aut ebriositatem eius respiciendo, vecordem quandam intemperantiam (fortasse & flagitiosam) eo significari crediderim.

Cæterùm ne hoc quidem silentio prætereundum est, quod ab eodem enarratore obiter eundem in locũ annotatur, Iouem & fatum idem esse, atque id ex multis locis liquere. Conuenit enim cum philosophorum quorundam, & Panætii nominatim, sententia: necnon Senecæ, inter Latinos: qui de Iouis nominibus loquẽs, *Hunc eundem* (inquit) *& fatum si dixeris, non mentieris. Nam quum fatum nihil aliud sit quàm series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua cæteræ pendent.* Poterant autem Ioui ex eo etiam (meo quidem iudicio) appellationem illam tribuere quòd in fato quoque supremã in res humanas potestatem agnoscebant. Quòd si verè dictum illud fuit, — *Omnísque potestas Impatiẽs consortis erit,* quomodo de suprema illa potestate verè non diceretur?

Hactenus de fato, iuxta quorundam etiam philosophorum sententiam: sed magis tamen iuxta vsitatam plurimis scriptoribus, ac præsertim poetis, loquẽdi consuetudinem. Fuerunt verò & qui fatum istud, physicum, id est naturale, vocauerunt, & quendam εἱρμὸν, seu quandam seriem & velut concatenationem causarum naturalium, esse dixerunt, quæ vi sibi ingenita certum & eundem (si nullum interueniat obstaculũ

effectum habent. Quid quòd Chrysippus fato dari posse naturæ etiam appellationem existimauit? Et sanè, qui in isto Ciceronis loco, *Sed vt, si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videntur præter naturam etiam, prætérq; fatum) huius diei vocem, testem reipubl. relinquerem meæ perpetuæ erga se voluntatis:* qui, inquam, hoc in loco contendet, fatum & naturam duo esse καθ' ἑνὸς ὑποκειμένου posita (hæc enim est vera lectio apud Gellium: quam & habet noua editio, cui meæ Noctes Parisinæ sunt adiectæ) pro eo facient quæ modò dicta sunt. Ac quamuis aliter etiam intelligi posse verba illa scribat Gellius, (de qua expositione ab illo dissentio, vt alibi ostendam) tamen dubium esse negat quin violentam & inopinatam mortem innuere Cicero voluerit, quæ rectè censetur præter naturam accidere. Atque his addit, idem Virgilium de fato quod Ciceronem sensisse: quum de Elisa dixit,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:

tanquam in faciendo fine vitæ, ea quæ violenta sunt, non videantur è fato proficisci. Quinetiam adiicit, Ciceronem verba Demosthenis idem ferè significantia de natura atque fato sequutũ videri. Putat enim, quod dicit Demosthenes τὸ τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον, id Ciceronem fatum atque naturam appellasse. Atque adeo αὐτόματον per se vtrumque putat comprehendere. dicit enim esse naturalem & fatalem mortem, quę nulla extrinsecus vi coacta venit. Ego tamen malim, ad melius exprimendam vim Græci vocabuli, dicere Spõte naturæ venientem. Sed vt malo, hîc quidem, Sponte naturæ venientem quàm Naturalem appellare, ita etiam Sponte fati venientem dicere vix ausim. Ac quãuis in hoc Platonicæ pro Socrate Apologiæ loco, qui

illi Demosthenico similis est, ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ἂν ὑμῖν τοῦτο ἐγένετο, ἐμὲ τεθνᾶναι δή, non dubitem his ad interpretandum vti verbis, *Hoc sponte naturæ vobis contigisset, vt morerer*: aut istis, *Ipsa natura* (q. d. Ipsa naturæ lex. vel, ipsa naturæ conditio) *mortem meam sponte sua vobis attulisset*: tamen αὐτόματον θάνατον nolim etiam Spontaneã mortem dicere: ne cum ἑκούσιος & αὐθαίρετος θάνατος confundam, vt à quibusdam (quos monitus non sequêris) factum est. Nam hæc mortem eam quæ à Latinis voluntaria dicitur, sonant: quam qui & spontaneam vocarit, Tacitum se imitari non immeritò dixerit, quum finem vitæ sponte impleuisse dicat eum qui voluntaria morte obiit: ei opponens illum qui fato finem vitę impleuit. Quod alioqui cum iis quæ diximus conuenit. nam vt fato, ita etiam natura finem vitæ impleuit qui nec voluntaria nec violenta morte interiit. Sed cur naturalis & fatalis mors, simul etiam voluntaria vocari nõ potest? quoniam (si satyrographi versum hac de re παρῳδεῖν mihi licet) *Multi annis lassi, satiatus nemo recedit.*

Hæc quum ita sint (libuit autem ea quam dixi de causa in huius quęstionis tractatione diutius immorari) meritò explodentur illorum Virgilij locorum tanquã repugnantium accusatores. Nam vel hoc considerare debuerant, ipsummet sui expositorem esse, quum non contentus dixisse,

Nam quia nec fato merita nec morte peribat,

addit,

Sed misera ante diem, subitóque accensa dolore.

Quod perinde est acsi scripsisset,

Nam quia non fati, naturæ aut lege peribat.

Aut ita,

Nanque accersito quoniam miseranda peribat Fato.

Nec tantummodo *Accersere* aut *accersire fatum*, sed & *Accelerare* ac *præuertere* dicebant, vt antea docui. Iam verò & *prodiga vitæ* dici poterat Dido: ideóque non malè fortasse de illa scriptum & ita fuisset,

Nanque suæ infelix esset quòd prodiga vitæ.

Sic enim de Cornelio Gallo Naso,

Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ:

quum & ante illum dixisset Flaccus, — *animæque magnę Prodigum Paulum.*

Quòd si quis audire malit quomodo Virgilius Virgilianè locum hunc mutare potuerit, audiat hæc quoque,

Nam quòd erat Dido (vitam lucémque perosa)
Proiectura animam insontem.

Legimus enim libro sexto,

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucémque perosi
Proiecere animas.

Quis tamen & præcedentibus illis modis mutatum locum, Virgilio non placiturum fuisse, dicere potest?

Ne illud quidem dictum inexaminatum prętereundũ est, — *merita nec morte peribat.* (ad quod respiciens, *insontem* adieci, quum dixi *Proiectura animam insontem*) perinde enim est acsi illos Homeri versus sequens aliquis, diceret, nec morte quam ob suam ἀτασθαλίας mereri dici posset. Quod contrà de Ænea meritò fortasse dictum fuisset, si illa imprecantia (si imprecatoria dicere non licet) Didonis verba pondus habuissent,

Spero equidem mediis (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis.

Quis enim mortem illam vocari meritam debere, ac ἐπίχειρα τῆς ἀτασθαλίας (& nominatim τῆς ἀπιστίας) esse negauisset?

gauisset? Ei certè qui hoc inficiaretur, ne hoc quidem pro vero habendum esset,

Præbuit Æneas & causam mortis & ensem:
Ipsa sui Dido concidit vsa manu.

Cæterùm illa quæ imprecantia esse dixi verba, scio quidem imprecationis formam non habere, sed hanc sub alia quam habent tegi dico.

De iniuria quæ Virgilio ab illis accusatoribus facta fuit, satis questus supérque, ad alios eius locos transire in animo habebam: quum recordatus sum & iniuriæ quam Homero fieri animaduerti paulo antè, dum eius huc pertinentem locum, cuius vti testimonio volebã, quærerem. Ideo autem de ea quoque verba faciã, quòd eius mentio ad præcedentem de fato sermonem pertineat. Quamuis enim mors fortuita à fatali (vt dixi) distinguatur, tantum abest vt fortuitam appellet Homerus mortem aliquam, vt ne fortunæ quidem vsquam meminerit: at eum tamen qui antea citatus fuit eius versum, vbi de iis qui ad orcum præter fatum deueniũt, loquitur, ita nobis exponit interpres vt sortis mentionẽ simul faciat. Quum enim Homerus dixerit tantummodo,

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι,

ille verba hęc omnibus istis reddit (si tamen hoc vocari debet reddere)

—ne sorte maligna
Præuenias magni tibi debita tempora fati,
Ante diem moriens.

Vbi alioqui non male fato sors maligna opponi videri posset, (quòd fatalis mors fortuitę nonnunquam opponatur, vt dictum fuit) si interpreti plus ipso sapere autore, aut alio quàm illũ modo sapere liceret. Verùm licet

excuſaretur ille locus, alii ſunt ei ſimiles, qui eandem excuſationem non admitterent. Ex eorum numero eſt hic, de Aiace, poſt deſcriptionem impetus & violentiæ apri, cum quo eum comparat,

Talis erat magni Telamonis filius Aiax,
Per Troas per & arma ruens hoſtilia, circum
Qui ſtabant Patrocle tuum generoſe cadauer:
Rapturi, & patriæ (ſi ſic fortuna tuliſſet)
Laturi decus eximium.

Nihil enim eſt apud Homerum quod verbis iſtis reſpódeat, aut quidquam vel affine illis habeat: quum hi ſint Homeri verſus,

Ὣς υἱὸς Τελαμῶνος ἀγαυοῦ φαίδιμος Αἴας,
Ῥεῖα μεθεισάμενος Τρώων ἐκέδασσε φάλαγγας,
Οἳ περὶ Πάτροκλον βέβασαν, φρόνεον δὲ μάλιστα
Ἄστυ ποτὶ σφέτερον ἐρύειν, καὶ κῦδος ἀρέσθαι.

in his autem nullam omnino fortunæ mentionem faciens, hæc dicat (ſi bene ſum interpretatus)

Sic Aiax, claro clarus Telamone creatus,
Diſcurſans, facilè diſiecta dat agmina Troum,
Queis Patroclus erat circumdatus, & quibus ingens
Spes erat vrbẽ vſque hunc magna cum laude vehendi.

At ſunt & alii plerique loci in quibus hoc ipſum Homero affingit. Et ſanè in hoc qui non longo interuallo præcedit, illud videre eſt,

—vocatos *Huc age ſiſte duces Danaûm, quoſcunque licebit,*
Aut ſors obtulerit.

Nam τύχης ne hîc quidem vlla eſt apud Homerum métio, neque aliud legitur quod verbis iſtis, *Aut ſors obtulerit*, reſpondeat. Sed non vt τύχην à ſuis poematibus Homerus, ita & Virgilius fortunam à ſuis excluſit: im-

mo verò cum fato etiam coniungere illam alicubi non dubitauit. Legimus enim libro VIII,

Me pulsum patria, pelagíque extrema sequentem,
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
His posuere locis.

Sed quæri posse scio, atque adeo non defuturos qui quærant annon Homerus aliam vocem habeat qua id significet quod Latini fortunam vocarunt: (de qua Iuuenalis,

Nullum numen abest, si sit prudentia, sed nos
Te facimus fortuna deam, cœlóque locamus:

vel, alteram sequendo lectionem,

Nullum numen habes, si sit prudentia.)

sed hac de re in meis Homericæ editionis Græcolatinæ prolegomenis, (non illa fauente, sed Deo) dicturus sum. Vereor enim ne si hîc in istam disceptationem ingressus fuero, nimium longè ab huius operis argumento euagatus esse dicar, & eo magis veniam mihi dare lectores grauentur, quòd iam illa in fatum digressione grauis illis fuerim. Longam enim fuisse fateor, sic tamen vt pedem ab ea referre difficile mihi non fuerit: at si in illius διαπορήσεως penetralia ingressus essem, & philosophorum de eo sententias coaceruare, deinde inter se conciliare conatus essem, non solùm molestior multo ipsis fuissem, sed ex illis penetralibus fortasse nihilo magis quàm ex Charontis cymba referre pedẽ potuissem. Nam si illi qui inter philosophos se prę aliis sophos (hac præsertim in parte) ostenderunt, Stoici inquam, adeo inconstanter & repugnanter de eo loquuntur, vt quærendum sit,

Iidem eadem de fato horam durántne loquentes?

si multa etiam disserunt de illo adeo implicitè & intri-

catè vt λοξίαν Apollinem imitari velle videantur, quid hîc miſeri eorum ſiue auditores ſiue lectores agemus? an, quum adeo in illis eorum locis qui integri & pleni ſunt, laboremus, hoc labore non contenti, fragmenta etiam neſcio quæ diu conquiſita, & mendis tamẽ (quod ad pleraque attinet) obſita, illis adiiciemus? Ecce enim (exempli gratia) Chryſippeam fati definitionem, δύναμις πνευματικὴ, τάξει τοῦ παντὸς διοικητική. En (inquam) Chryſippeam, qualem inuenimus, fati definitionem: quæ ſonat, *Vis* [vel *potentia*] *ſpiritalis, quæ ordine vniuerſitatem hanc gubernare valet*. Sed ſi aliquis hîc dixerit τάξεως potius quàm τάξει ſcribendum eſſe, quid habebit quod de πνευματικὴ dicat? quomodo fatum πνευματικὸν eſſe cogitabit? aut quid πνευματικὸν in fato imaginabitur? Chryſippus tamen ita ſcripſit ſcilicet. Quid? an vel cum ea definitione quam Gellius illi adſcribit, aliquid habet commune? Verùm ad Zenonem veniamus. Illi eſt δύναμις κινητικὴ τῆς ὕλης κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως. id eſt, *Vis* (ſeu *potentia*) *quæ materiam ſecundum eadem & eodem pacto mouere valet*. Quibus adiecisse fertur, ἥντινα μὴ διάφορον (ita enim, ſi diis placet, permittit loqui Græcæ linguæ conſuetudo) καὶ πρόνοιαν καὶ φύσιν καλεῖν. id eſt, *quam nihil refert an etiam Prouidentiam & Naturam dicas*. Eodémq; modo Theophraſto ἡ εἱμαρμένη eſt ἡ ἑκάστου φύσις. id eſt, *Fatum eſt natura vniuſcuiuſque*. Sed quid ſi, vbi te diu multúmque in his verbis, & fruſtra tamen, torſeris, dicam, Theophraſtum videri potius ſcripſiſſe, εἱμαρμένη ἐστὶν ἡ ἑκάστου φύσις, non præfixo articulo: ex qua tam parua mutatione longè alius & magis rationi conſentaneus ſenſus elicitur. Iam verò & bonus ille vir Chryſippus, in omnes ſe verſans partes, ad inueniendam fati definitionem, fertur etiam dixiſſe, εἱμαρμένην eſſe λόγον αἴτιον τ̃ προ-

νοίας: quum huic contrarium multo magis rationi ſit conſentaneum, προνοίαν eſſe λόγον ἀΐδιον τῆς εἱμαρμένης. eſt enim προνοίας, id eſt prouidentiæ, conſilia agitare ex quibus fatalia decreta manant. Sed à philoſophis ad hyperphiloſophum Mercuriũ veniamus. Πρόνοια (inquit) ἐστὶν αὐτοτελὴς λόγος τοῦ ἐπουρανίου θεοῦ. δύο δὲ τούτου δυνάμεις αὐτοφυεῖς, ἀνάγκη καὶ εἱμαρμένη. ἡ δὲ εἱμαρμένη ὑπηρετεῖ προνοίᾳ καὶ ἀνάγκῃ· τῇ δὲ εἱμαρμένῃ ὑπηρετοῦσιν οἱ ἀστέρες. οὔτε γὰρ εἱμαρμένην φυγεῖν τις δύναται, οὔτε φυλάξαι ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς τούτων δεινότητος. ὅπλον γὰρ εἱμαρμένης οἱ ἀστέρες. κατὰ γὰρ ταύτην πάντα ἀποτελοῦσι τῇ φύσει καὶ τοῖς ἀνθρώποις. Id eſt, *Prouidentia eſt cœleſtis dei ratio, quæ ex ſeipſa perfecta eſt. Huius duæ ſunt facultates [vel potentiæ] natiuæ, Neceſſitas & Fatum. Ac Fatum quidem ſubſeruit Prouidentię & Neceſſitati, Fato autem ſubſeruiunt ſtellæ. Nam neque Fatum effugere quiſquam poteſt, neque ſibi ab harum atrocitate cauere. Arma enim Fati ſunt ſtellæ, quum ad huius præſcriptum omnia naturæ & hominibus efficiant.* Quid? an doctior ab hac deſcriptione diſcedes? Immo verò, quàm antea incertior: quum etiam de quorundam eius vocabulorum interpretatione incerti eſſe cogamur. Nam quis certò ſcire poteſt quid per λόγον θεοῦ hîc intellexerit? quis ſcire an ἐπουρανίου ſimpliciter pro οὐρανίου, id eſt cœleſtis, dixerit, an propriam ſignificationem relinquere illi voluerit? Illud autem αὐτοφυεῖς ſcio redditum fuiſſe *cognatæ*: ſed hoc ſignificare ſi voluiſſet, συμφυεῖς potius dicere debuerat. Interim verò quomodo αὐτοφυεῖς eſſe imaginabimur? In iis porro quæ proximè ſequuntur, quid de fati à neceſſitate ſeparatione dicemus? Vide quantis difficultatibus obſepta & obuallata ſit hæc deſcriptio. Nam & quum eam ita concludat vt ſtellas arma fati eſſe, & ad huius præſcriptum omnia naturæ & hominibus efficere di-

cat, fuerunt alij qui potius fatum ex stellis pendere dixerunt: iuxta quorum sententiam dicendum contrà fuisset, τὴν εἱμαρμένην esse ὅπλον τῶν ἀστέρων, id est, fatum esse arma stellarum: quasi eo propugnante fiat vt suum illę ius & imperium in res humanas obtineant. *O quæ tot* κριτικὴ διακρίνειν νείκεα *possit.*

Ab his igitur ad poetas nostros (in quos κριτικὴν exercere posse, satis supérque etiam τοῖς κριτικωτάτοις esse debet) refugiamus: & illos quidem de fato ita vt antea disserui plerunque loqui fateamur: sed nonnunquam tamen latius fati fines extendere, & omnia quę eueniũt, quantumuis & præter omnium opinionem, & præter ipsas naturæ leges eueniant, fato includere. Quinetiam, perinde interdum loqui de fato, vt quemadmodum prouerbiali dicto iactatur, ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται, id est, Necessitati ne dii quidem aduersantur: ita etiam fato, tanquam maximæ omnium necessitati (vnde à Marone *ineluctabile* appellatur) ipsos quoque deos subiiciant. Obiiciet hîc aliquis, Quomodo rationi consentaneum est, si ipsemet Iupiter est fatum, (vnde ὑπὲρ θεὸν alicubi idem Homero valere quod ὑπὲρ μοῖραν videmus) vt fato subiectus dicatur? Ego verò tanto magis τὸ ἀμάχητον τῆς μοίρας, id est, vim illam fati ineluctabilem & insuperabilem, declarare eos voluisse arbitror, quasi, ad eam superandam, ipsum Iouem à seipso dissidere & αὐτὸν ἑαυτῷ μάχεσθαι necesse futurum sit. Maro quidem certè quàm verè fatum ineluctabile appellet, cum alibi tum hoc libri decimi loco ostendit, vbi Iouem ita loquentem introducit,

Stat sua cuique dies. breue & irreparabile tempus.
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Troię sub mœnibus altis

Tot nati cecidere deûm: quin occidit vnà
Sarpedon, mea progenies: etiam sua Turnum
Fata vocant, metásque dati peruenit ad æui.

Vbi, *ad metas dati æui peruenit*, est id ipsum quod μοῖραν ἀνέπλησε, vel μοῖραν βιότοιο ἀνέπλησε, dixissent Græci poetæ. Quidam verò & τὸ μοιρίδιον ἀναπλῆσαι, vel τὸ μοιρίδιον χρόνον, in soluta etiam oratione ποιητικώτερον dixerunt. Quinetiam εἰς τὸ χρεὼν ἀπέρχεσθαι dictus ille fuit qui ad dati æui metas tẽdebat. Est autem hîc quoqu suum Homerum imitatus Maro, cuius hos versus audimus Iliad. π, ex ipsius itidem Iouis ore,

Ὤμοι ἐγών, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.
Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν, ὁρμαίνοντι
Ἤ μιν ζωὸν ἐόντα μάχης ἄπο δακρυοέσσης
Θείω ἀναρπάξας Λυκίης ἐν πίονι δήμῳ,
Ἢ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.

Quos Eobanus ita vertit,

Heu quid agam Iuno? vocat en Sarpedona fatum,
Quo mihi non alius natorum charior extat.
En vocat ad mortem fatum crudele ferendam
Sub manibus Patrocle tuis. nunc ergo vacillat
Ancipiti sensu mihi mens, & pectore toto
Addubito, num subtractum pugnæ atque labori
Eripiam, regnísque suis patriæque remittam:
An patiar fragilis deponere munera vitæ,
Sub manibus Patrocle tuis.

Quorum etiam versuum vt hanc breuiorem & fideliorem interpretationem tibi darem, à me propemodum inuito (quòd properandum ad alia esset) obtinui:

Hei mihi, quòd cunctos supra Sarpedona charum
Fata volunt manibus Patrocli occumbere morti.

Iámque animi pendens agito, Sarpedona, pugnæ
Ereptum, Lyciæ sistámne feracibus aruis,
Anne Menœtiadæ sub dextra iam dabo letho.

Cæterùm vt hîc videmus dubitantem Iouem an debeat Sarpedonem ἀπὸ τῆς μάχης ἀναρπάζειν, ita in eodē Æneidos libro videmus Iunonem à Ioue contendere vt Turnum pugnæ subducat. Sed quantum velit hac in re fatum de suo iure cedere, ipse Iupiter postea exponit, his versibus,

Si mora præsentis lethi, tempúsque caduco
Oratur iuueni, méque hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat: sin altior istis
Sub precibus venia vlla latet, totúmque moueri
Mutaríve putas bellum, spes pascis inanes.

At verò apud Homerum Iuno ipsi Ioni irascitur, tanquam volenti, δεῖ ποῦ ἀπὸ τῆς μάχης ἀναρπάζειν τὸν Σαρπηδόνα fatum multo plus de suo iure remittere.

SED, vt tandem ad Seruium redeam, is in hunc libri primi locum,

— ô qui res hominúmque deûmque
Alternis regis imperiis, & fulmine terres,

poetam nunc secundum Stoicos loqui nos admonet: quia secundum hos dij humana curant: alibi tamen secūdum Epicureos verba facere, poetica vtentem licētia.

Eodem modo in istos eiusdem libri versus,

Dij tibi, (siqua pios respectant numina, siquid
Vsquam iustitiæ est) & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant:

secundum Stoicos dici ista docet. hos enim existimare virtutem esse pro præmio. Quod quum dicit, sequi se ostendit quam habemus lectionem, *— siquid Vsquam iustitiæ*

iustitiæ est. Cogitaui tamen aliquando, fieri posse vt à Virgilio scriptum fuerit *iustitia:* & intelligendum sit, Siquid vsquam est iustitia, & siquid est vsquam mens sibi recti conscia. Id est, si quo hæc loco vsquam habentur. Tunc autem notis parenthesis includenda verba quoque ista fuerint, *--& mens sibi conscia recti.* Alterum illum sensum interim non reiicio, qui vulgari lectioni consentaneus est: ac cum eo conuenit etiam hic versus,

Ipsa etenim virtus sibimet pulcherrima merces.

Sed pauci huic Stoicorum doctrinæ acquiescunt: adeo vt verè dictum sit istud,

--- quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Verùm, vt à Stoicis ad Epicureos transeamus, hos sequi existimatus fuit idem poeta & in hoc libri quinti loco,

Salue sancte parens iterum, saluete recepti
Nequidquam cineres, animæq; vmbræq; paternæ.

Epicureos enim omnia cum corpore perire existimauisse.

SIC autem & de iis quæ ad physicam philosophiam spectant, diuersè interdum, fortasse & contrariè loqui comperientur poetæ, dum aliam alius philosophi aut aliorum philosophorum sententiam sequuntur. Ad nostrum certè Virgilium quod attinet, idem enarrator, in hæc eius verba libri primi, *tuáque animam hanc effundere dextra,* scribit, ita eum loquutum esse, secundum eorum opinionem qui dicunt sanguinem esse animam. Atque hos sequutum esse itidem vbi dixit, *Purpuream vomit ille animam.* Alio autem loco, quum iis assentiretur qui animam spiritum esse

volunt, scripsisse, *-- atque in ventos vita recessit.* Claudunt autem hæc verba quartum Æneidos librum: vbi postquam scripsit idem per vitam hîc animam significari: addit, dicendo *in ventos*, aut eos sequi qui animam aerem esse aiunt: (vt intelligamus, in materiam suam redijsse) aut eos qui tradũt animam perire cum corpore.

Multi autem sunt alij loci in quibus physicè Virgilium loqui, lectorem monet: in quorũ tamen nonnullis eum nihil ad physiologiam pertinẽs cogitasse crediderim. Nam in hunc qui est initio libri decimi, de dijs à Ioue sidereã in sedẽ cõuocatis, *Considunt tectis bipatentibus*, annotat, physicè dictum *bipatentibus*, quia cœlũ patet ab ortu & occasu. Sed nõ video quidni potius poetã non aliò respexisse dicere debeamus, quàm vbi scribit, *-- portis bipatẽtibus adsunt:* vt ex ipsomet, *tectis bipatentibus*, quorũ portę sunt bipatentes, exponamus.

Quum item dicitur ab hoc poeta de Ænea, *-- ille Iouis monitis immota tenebat Lumina*, illum ad morem qui à natura hominibus insitus est respicere putat. quippe qui scribit, *Physicum enim est vt qualitatem animi ex oculorum aut corporis stabilitate aut mobilitate noscamus.* Sed hanc obseruationem non semper veram comperiri constat: & fieri posse vt aliquis, cuius animus suo in proposito stabilis sit & firmus, lumina tamen immota, dum alium loquentem & dissuadere volentem audit, non teneat. Quid si verò *immota lumina* non simpliciter ad statum hominis cuius animus in profundam cogitationem defixus, pariterque in terram defixi simulque immoti sint oculi, referamus, sed *immota* intelligamus etiam quæ à terra in quam defixa erant mouere, & ad Didonem intuendam nollet attollere?

Quod

Quod ab eodem poeta dicitur de geminis Somni portis in fine libri Æneidos sexti,

Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera, candenti perfecta nitens elephanto:

ad physiologiam itidem refert. per corneam enim portam oculos significari ait, qui & cornei sunt coloris, & duriores cæteris membris: vnde fieri vt frigus non sentiãt: per eburneam verò portam os indicari, à dentibus. Et scimus (inquit) quia quæ loquimur, falsa esse possunt: ea autem quæ videmus, sine dubio vera sunt. Verùm & aliam expositionem affert.

Denique & in hac descriptione, quę est libro VIII,

Insula Sicanium iuxta latus AEoliámque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:

physiologiam constituit. nam scribit, physiologiam esse cur Vulcanus in his locis officinam habere fingatur inter Ætnam & Liparen: scilicet propter ignem & ventos, quæ apta sunt fabris. Sed possumus fortasse de hac descriptione aliísque huiusmodi simplicius etiam dicere, in iis poetam fictione quæ naturali rationi consentanea sit vti: vt quum Ouidius Famem in lapidoso agro inuentam esse scribit. Quidquid autem de illa Virgilij fictione dixerimus, qua Vulcano officina sua inter Ætnam & Liparen Æoliam assignatur, idem & de hac meritò dixerimus qua Misenus tubicen fingitur Æoli filius (vnde *Misenum AEoliden* legimus) quia constat sonum omnem ex vento creari, vt & idem enarrator annotat. Eodémque pertinet & quod in hunc vltimi libri versum, *Attulit hunc illi cæcis terroribus aura Commistum clamorem,* scribit, Naturale enim esse vt à qua parte ventus flat,

inde clamor audiatur. Quum autem hoc ita sit naturale vt minimè tamen sit ex alicuius causæ naturalis secreto petitum, sed potius aliquid vulgo etiam ex quotidiana obseruatione notum (vnde & pastorem dicentem audimus, *Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures*) dicere, poetam & hîc φυσιολογεῖν, minus, vt opinor, tolerabile, quàm in illa quæ ex VIII. libro allata est descriptione, tolerabile fuerit.

Quin etiam in vno eodémque versu vnam rem secundum physicos, alteram secundū mathematicos ab eo dici existimat: in hoc videlicet,

O pater, ô hominum diuúmque æterna potestas.

Diuûm enim potestatem esse, quia ipse est æther, qui elementorum possidet principatum: hominum verò quia bona Iouis irradiatio honores hominibus tribuit. Æternam autem potestatem adiecisse, propter aliorum numinum discretionem: quòd legamus & Apollinem deposuisse diuinam potestatem, & Herculem ac Liberum patrem non semper deos fuisse. Sed cur non, simpliciori expositione contenti, non aliud valere hæc verba, quàm illa, *hominum rex atque deorum* (quę Homericis respōdent, ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε) dicamus?

Multos alioqui esse constat locos in quibus ita physiologicè loquūtur poetæ (quemadmodum Homerus in plerisque) vt quum alibi aliter de vna eadémque re loquantur, sibi repugnare videri possint. Sed criticorum fuerit (qui verè critici sint, minimèque ἀκρίτως iudicent) considerare vtrum in idiotæ persona, ex communi sensu, an in persona alicuius φυσιολογοῦντος poeta verba faciat. Atque hîc enarratoris Arati recordor, scribentis, hunc poetam volétem

poema

poema suum esse non φυσικὸν solùm, sed & poeticum. (non ποιητικὸν tamẽ simpliciter, verùm cum adiectione ποιητικόν πως dicit) fabulosa etiam quæ poetarum propria sunt, admiscere. Idem, hunc in locum,

Ἀλλ' ἄρα καὶ περὶ κεῖνο θυτήριον ἀρχαίη νὺξ,
Ἀνθρώπων κλαίουσα πόνον, χειμῶνος ἔθηκεν
Εἰναλίου μέγα σῆμα, &c.

tradit hæc ab eo μυθικῶς simul & φυσικῶς scribi. Sed in vetusto quodam exẽplari legitur, φησί τι μυθικὸν ἐπιφαῦον φυσικότητος. Quinetiam non multo post, πολλάκι γὰρ καὶ τοῦτο πάλιν εἰς τὸ φυσικὸν μυθεύεται. Denique est etiam aliquid apud hunc poetam quod geometricè & astronomicè ab eo dici ait.

Non malè autem conueniũt hæc istius scholiastæ, scribẽtis aliqua dici ab Arato μυθικῶς simul & φυσικῶς, cum iis quæ & à Seruio de quibusdam Virgilij locis annotantur, eum in illis poeticè simul & philosophicè loqui. Nihil enim magis poeticè dici existimandum est quàm quod fabulosè dicitur.

Fateor tamen, multo latius illius vocabuli significationem apud hũc enarratorem patere, & multis in locis monere nos, Virgiliũ poeticè loquutũ esse, vbi non tam ad τὸ μυθικὸν, quàm ad alia, quæ itidem poetica sunt, respexit: atque adeo alicubi pro eo quod scribit Poeticè loquutum illum esse, non malè fortasse dicturum fuisse, Poetica licentia vsum esse, vel, Figuratè loquutum esse. Nam in hunc libri sexti locum,

-- quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores,

legimus, *Quod autem ait, Æthere in alto, poeticè dictum est. æther enim superius est: sed nostrum habitaculum, ætherem vocauit, inferorum comparatione.* Quid autem aliud hîc

poeticè quàm Poetica licentia, sonare dicemus? in qua porro alia re licentiam hanc quàm in abusu illius vocabuli constitui ab eo dicemus? Sic autem non multo ante, vbi ab hoc poeta scribitur, *Infantúmque animæ flentes in limine primo*, hoc poeticè itidem dictum esse tradit. & addit, Ploratum, tantùm lacrymarum esse: Planctum, tantùm vocum: Fletum ad vtrunque pertinere: sed poetas hæc plerunque cõfundere. Quibus postremis verbis ostendit, quum Poeticè dictum esse scripsit, perinde esse acsi Poetica licentia, qua confundere multa permittitur, dictum illud esse scripsisset. Ac nequa restet dubitatio de eo quod modò dixi, ab eo, scribēte aliquid poeticè dictum esse, ad poeticum abusum plerisque in locis respici, afferã quendam locum, in quo postquã Abusiuè scripsit, ei addit More poetico. Is est in primum Æneidos, vbi legimus, *-- donec regina sacerdos Marte grauis geminã partu dabit Ilia prolem.* nam *Regina* ab eo exponitur Regis filia: & additur, abusiuè hoc dici more poetico. Aliúdque eiusdem abusus affert exemplum.

Magis autem mirum videri posit quod alicubi *Poeticè* & *Secundum publicam opinionem* coniungit: vbi vereor ne ipsemet, qui poetici abusus mentionem aliquoties facit, non sine abusu loqui existimãdus sit. Nam in hunc locum, *--cœlo cen sæpe refixa Transcurrunt, crinémque volantia sidera ducunt*, scribit, cum hoc poeticè dixisse, secundum publicam opinionem: quoniam, vt Lucretius dicit, ventus altiora petens ætherium ignem secum torquet, qui imitatur stellas cadentes. Sed hoc de loco, déq; alio simili qui Georg. libro primo legitur, in sequentibus dicam.

Contrà autem, ea quæ poeticè dicta sunt, ab iis quæ

quæ philoſophicè, diſtinguit: quum hunc in locum,

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt,

ſcribit, aut poeticè dictum iſtud eſſe, aut ſecundum philoſophorum altam ſcientiam: qui deprehenderũt bene viuentium animas ad ſuperiores circulos, id eſt, ad originem ſuam, redire: malè viuentium verò, diutius in his permorari corporibus, permutatione diuerſa, & eſſe apud inferos ſemper. Quomodo igitur hîc *poeticè dictum* exponemus? Non malè (meo quidem iudicio) ſi Poetica fictione, ſiue Poetico figmento, ſignificari dixerimus. Quæ expoſitio ſi quidẽ huic conueniet loco, certè & iſti conueniet, vbi eundem poetam de animabus dicentem, --- *aliæ panduntur inanes Suſpenſæ ad ventos*, poeticè quidem loqui de purgatione animarum ait, tangere tamen quod & philoſophi dicunt. Aut enim in terra purgari quæ nimis oppreſſæ ſordibus fuerint, &c. Pro mea autem expoſitione facit quod ab eodem ſcribitur in alium eiuſdem libri locum, qui non longo interuallo præcedit, eum philoſophiæ miſcere figmenta poetica. Sed addit, oſtendere etiã tam quod eſt vulgare, quàm quod continet veritas & ratio naturalis. Vbi probo quidem quod dicit, veritate & ratione naturali contineri ea quæ philoſophica ſint: at non item probare poſſum, id quod fictione poetica dicitur, ab eo quod vulgare eſt non diſtingui: quum vulgare ab eo vocari exiſtimem id quod iuxta vulgarem opinionem dicitur.

Alicubi ſecundum poeticum morem loqui Virgilium dicere mauult. vt quum in hunc primum

libri decimi verſum,

Panditur interea domus omnipotentis olympi,

annotat, *Secundum poeticum morem hoc dicit, Factus est dies.* Vbi perinde eſſe acſi Secundum fictionem poeticam dixiſſet, ex iis quæ proximè ſubiungit liquet, *Quia dicunt poetæ matutino tempore aperiri cælum, noctu verò claudi. Unde est illud, Ante diem clauſo componet veſper olympo.* Sic porro & in aliis deſcriptionibus ſua poetas habere figmenta ſcimus.

Atque hæc quum ita ſint, & quum aliter atque aliter eadem loquens de re poeta, loqui poeticè dici poſsit, non mirum eſt ſi diuerſis diuerſa locis, & interdum ferè cõtraria aut etiam planè contraria vnus & idem loquatur: neque in criticorum reprehenſionem hac ſolùm de cauſa cadere debet. Quum autem verum ſit quod antea ex enarratore illo eſt à me annotatum, quum inter ſectas cõtrariæ ſint opiniones, hinc fieri vt in vno eodémq; poeta contraria nonnulla inueniãtur, non ex ipſius vitio ſed ex diſcordia ſectarum: non minus verum eſſe ſciendum eſt, hanc locorum repugnantiam in iis quæ è fabulis ſumpta ſunt cerni. Nec verò iſtud ratione caret. quum enim nihil tam ſit poeticum, aut ſaltem nihil magis, quàm τὸ μυθικὸν, vbi magis locum habere poeticam licẽtiam par eſt? Potius tamen alij ab aliјs diſsident, quàm aliquis à ſeipſo in ijs quæ ad fabulas pertinent. Vnde idem enarrator in hunc libri ſexti locum,

---ſedet æternúmque ſedebit Infelix Theſeus,

ſcribit, *Contra opinionem* (fortaſſe autem, *Contra publicam opinionem*, ſcribendum eſt.) *nam fertur ab Hercule eſſe liberatus: quo tempore illum ita abſtraxit vt illic corporis eius relinqueret partem.* Quibus adijcit, *Frequenter enim variant*

fabulas

fabulas poetæ. & in exemplum affert quę de Hippolyto à Virgilio, quæ item ab Horatio ſcribuntur. Virgilium enim, liberatum ab inferis dicere: at Horatium contrà, *--neque enim Diana pudicum Liberat Hippolytum.* Verùm & vnum eundémque poetam diuerſas diuerſis locis fabulas, aut etiã contrarias, de eadem perſona poſſe ſcribere, ſaluo (vt ita dicã) decoro poetico, (pręſertim vbi non eadem loquẽs perſona introducitur) extra controuerſiam eſt. Quod fortaſſe reſponderi poteſt ijs qui illa de Theſeo verba cum ijs quæ præceſſerũt pugnare ſcribunt. Siquidem non procul ab huius ſexti libri principio mentionem Theſei fieri vidimus inter illos qui ex inferis gradum reuocarint. Sed poſſe & aliter defendi Virgilium, oſtendam vbi quam ex Higino Aulus Gellius affert reprehenſionem commemorabo.

NEC tamen hæc ſola quæ poetis licere dixi ipſos defendunt aduerſus eos qui ſibi repugnantia loqui interdum illos queruntur: ſed interdum quidem eos idiotarũ more, nonnunquã autem philoſophicè de vna eadémq; re verba facere dicendũ eſt. Adde quòd quum non minus impios quàm pios, non minus à virtute alienos, quàm virtutis ſtudioſos, in ſuis poematis loquentes introducant, (quò etiam extendi illa Platonis verba dici poſſunt) non mirum nec reprehenſione dignum eſt ſi contraria ſuper eadem re ex illorum ore audiamus. Iam verò vna etiam eadémque perſona, ira percita, aut alia perturbatione correpta, ijs quæ dixerit omni perturbatione carens, repugnantia plerunque loquitur. Atque hinc fit vt vnius poetæ locos inter ſe committere, & vnum ad alterius correctionẽ adhibere poſsimus: vt bellè nos

docet Plutarchus: quum (exempli gratia) isti Sophoclis versiculo,

Τὸ κέρδος ἡδὺ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἐίη, (nisi scribendum ἔῃ)

hunc eiusdem opponit,

Οὐκ ἐξάγουσι καρπὸν οἱ ψευδεῖς λόγοι.

Itidémque vbi cum his Euripideis,

Πολλαῖσι μορφαῖς οἱ θεοὶ σοφισμάτων
Σφάλλουσιν ἡμᾶς, κρείττονες πεφυκότες (qui cum illo versu Ouidiano conueniunt, *Ludit in humanis diuina potentia rebus*) committit istum, qui Euripideus itidem est,

Εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶ θεοί.

Sic etiam hisce Menandri,

Ἅπανθ' ὅσα ζῇ καὶ τὸν ἥλιον βλέπει
Τὸν κοινὸν ἡμῖν, δοῦλα ταῦτ' ἔσθ' ἡδονῆς.

(id est, *Quæcunque viuunt, cum quibus nobis iubar*
Commune solis, his voluptas imperat)

opponit istum, qui itidem est Menandreus,

Ὄνειδος αἰσχρὸς βίος ὅμως, κἂν ἡδὺς ᾖ,

id est, *Probrosa turpis vita, sit dulcis licet.*

Quinetiam ab vno eodémque poeta & vno eodémque in loco nonnulla ita dicuntur, vt hæc ab illis dissidentem sententiam habeant. Id autem fit aliquando quidem quum personam vnam inducit poeta quæ alterius dictum corrigat (cuius rei pulcherrima tragici potissimum exempla suggerunt) interdum verò quum vnus & idem vel iræ vel alij animi morbo ita moderatur vt ad se redire dici possit, minimeque sequi deteriora, quum videat (vt ait illa apud Nasonem) meliora probétque. Quum enim is cui hoc contingit, μετανοῆσαι dicendus sit, & sub hoc verbo mutationem τοῦ νοῦ, id est mentis, intelligamus, non

non mirum est si cum mente oratio quoque mutetur.

Tum verò præsertim diuersa de vna eadémque re dici à poeta necesse est quum diuersas personas loquentes introducit: quum à probo (exempli gratia) ad improbum, aut vicissim, & quum ab idiota ad hominem literatum, aut etiam doctum, venit.

QVONIAM porro ex præcedẽtibus intelligimus multa poetis concedi, variámque illorum esse licentiam, critici est, antequam vllum reprehẽdere locum aggrediatur, quid ad defendendum aut saltem excusandum poetam afferri posit præuidere. Nam (vt de iis taceam quæ in sermone excusari debent, quum figuratè loqui illis concedatur, variæ autem figuræ sint: quum acyrologiæ etiam & catachreses necnon multa ex Græci sermonis imitatione petita illis permittantur) ad res ipsas quod attinet, considerandum est multa κατὰ τὸ σιωπώμενον à nobis debere intelligi non secus ac dicta, siue pro dictis haberi: vt ad ea, tanquam præcedentia, ea referamus quę postea dicuntur, mira alioqui nobis futura. Sic certè apud Homerum multa mirari contingeret, nisi ad ea quæ κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus, referenda esse sciremus. In Virgilio autem non obseruantes hoc quidam, reprehendere etiam quosdam locos ausi sunt. Sed reprehensione ipsimet digni erant, qui quæstionem seu dubitationem de re quam nobis cogitandam seu imaginandam reliquisset, mouebant. Atque hîc occurrunt illa vltimi libri Æneidos verba, *Nudato capite*: de quibus talem quæstionem fuisse motam, ex Seruio discimus. *Sanè quæritur* (inquit) *quemadmodum Nudato dixerit,*

quum eum suprà nusquam tecto induxerit capite. Ad quam quæstionem Seruij respõsio mihi non satisfacit. scribit enim, *Nudatum* esse quidquid fuit antè coopertum: *Nudum* verò, quod tectum antè non fuerat. Ideóque aut *Nudato* pro *Nudo* accipiendum, vt sit pro nomine participium: aut dicendum, tectum eum habuisse caput quum in campum descendit. Atqui breuius & melius respondere poterat, ridiculam esse hanc quæstionem, quia vel ex eo quod dicit *nudato*, nobis indicat fuisse antea coopertum. Vt interim omittam, non assensuros illi esse lectores, Nudum non posse dici nisi quod tectum antea non fuerat.

Cæterùm, nõ parui referre vt animaduertãtur quæ κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligi debeãt, vel inde apparet, quòd interdum aliquo eorum non animaduerso, decorum non seruasse videri queat poeta, qui tamen id accuratè seruauerit. Nihil autem reprehensione magis dignum existimarunt critici, quàm illud: & nihil tamen est cuius obseruatio maiorem cautionem requirat. Seruius τὸ πρέπον aliquoties appellat: súntque loci in quibus nos id seruari admonet. vt quum Æneid. XII, dicitur, *--simul agmine denso Antæúsque Mnestheúsque ruunt*, scribit, *Seruauit* τὸ πρέπον. necesse enim erat vt vulnerato duce multi cũ eo in castra remearent. Alicubi verò addit & Latinã vocẽ Decorũ, ad Græcæ expositionem. vt quum in hæc verba libri IX, *Tandem ductores, audita cæde suorum, Conueniunt Teucri*, annotat, *Seruat* τὸ πρέπον, *id est decorum* (nisi fortè hanc expositionem supposititiam esse credendũ est) *ne præsentibus ducibus Turnus tot strages fecisse videatur.* Sed & quum in librum quintum, ea quæ de Eurytione à poeta dicuntur, defendit aduersus quosdam repre-

hensores,

hensores, ibi de seruato decoro agi videtur. Veniens enim ad húc versum, de columba fixa ab Eurytione,

Decidit exanimis, vitámque reliquit in astris

Aerijs: postquam in hæc verba, *in astris aerijs;* annotauit, *vnde sumpserat vitam: vt, Hinc hominũ pecudumq́ genus, vitæq́ volantum:* addit, totum hunc locum ab Homero esse sumptum. Vnde inanem esse vituperationem Æneę, quòd suspenderit auem maternam. Nam & rem esse translatam simpliciter: & quamcunque suspendisset auem, futurum fuisse vt in hanc vituperationem incideret. nullam enim auem consecratione carere, quum singulæ aues numinibus sint con secratæ. Quibus addit, *Quanquam Vrbanus dicat, matrem citius potuisse placari.* Vbi vtitur voce quæ præcedentibus aduersari quodammodo videtur: quum tamen ista Vrbani verba magis etiam defendant Virgilium. Cæterùm & proximè sequentem locum à Virgiliomastigæ reprehensum tradit. nam in hunc versum,

Ostentans artem pariter arcúmque sonantem,

scribit, Virgiliomastigem in hoc culpare Virgilium. artem enim in vacuo aere ostendere non potuisse. Sed ipse aliquid & in huius loci defensionem affert: quum adiicit, *Quanquam dicant periti, posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam indicari.* Quòd si dignus reprehensione & hic esset locus, non tam aduersus decorum peccasse, (vt de proximè præcedenti quidã iudicarunt) quàm fictione rationi minimè consentanea vsus esse dicendus foret.

I AM verò & nonnulla sunt quæ per anticipationem à poeta dici qui non animaduertet, ignorantiæ illum accusabit. De illa autem loquor anticipatione,

cuius ipse mētionem facit Seruius in illa verba, *--portúsque require Velinos.* Nondum enim erat Velia (inquit) quo tempore Æneas ad Italiam venit: ideóque anticipatio est. Sed addit, eā, si ex poetę persona fiat, esse tolerabilem: sin per alium, vitiosissimam. Vbi intelligit, quæ per alium fit, qui ab ipso poeta loquens introducitur: vt hîc Virgilius Palinurum loquentem inducit, & tamen eo nomine iam tum vtentē quod Virgilij demum seculo, aut paulo ante, in vsu fuerit. Hanc autem poeticam licentiam apud Gellium aut ignorans, aut ignorare se simulans Higinus, ista Virgilij verba, *--portúsque require Velinos,* acriter reprehendit, vt in sequentibus ostendam.

Considerandum est porro poetam quempiam legenti, istud etiam quod eodem pertinet, & de quo ab eodem enarratore admonemur, poetas interdum nomina alia pro aliis ex vicino petita vsurpare. Quā certè licentiam præcedente maiorem esse, nemo (vt opinor) mihi negauerit. Annotat autem illud in istū libri primi Æneidos locum,

Hìc iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea.

postquam enim *Hectorea* exposuit *Troiana*, & addidit, dicere debuisse, *Æneia*, subiūgit, poetas nomina ex vicino vsurpare. Quod certè in alium eiusdem libri versum apertius dicit, solere poetas nomina de prouinciis vicinis vel personis vsurpare.

Nec minus venire nobis in mentem debet istud, cuius idem nos non vno in loco admonet, poetam secundum ritum Romanum, seu secundum consuetudinem Romanam, aut Romanum morem, loqui. Sic in hunc versum libri VI,

Nec verò hæ sine sorte datæ sine iudice sedes,
annotat, traxisse hoc ex more Romano. Causas enim non audiri solitas, nisi per sortem ordinatas: quum omnes quo tempore causæ agebantur conuenirent. Item in hunc libri eiusdem,

Ecce autem primi sub lumina solis & ortus
Sub pedibus mugire solum,

innuit posse hunc locum reprehendi ab eo qui ignoret eum loquutum esse conuenienter ritui Romano. Vbi tamen videndum an eius stare sententiæ necesse sit. Sic verò & in librum IX, vbi canit poeta,

Ænean acciri omnes populúsque patrésque Exposcunt,
annotat, illum transferre in Troianos Romanam consuetudinem, vt plerunque solet. Itidem in hæc eiusdem libri verba, *-- & iaculum intorquens emittit in auras, Principium pugnæ,* Hoc (inquit) de Romana solennitate tractum est. Quibus subiungit quæ in bello indicendo fieri mos esset. Iam verò & prouinciæ suæ more loqui eum dicit alicubi: vt in hunc locum, *-- aëriam sed gurgite ab alto Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem,* scribit, eum secundum morem prouinciæ suæ loquutum, in qua bene canentes cycni, rauciores vocantur. Sic etiam in hunc versum libri Georg. primi, *Stiuáque quæ currus à tergo torqueat imos,* admonet, currus dixisse propter morem prouinciæ suæ, in qua aratra habent rotas quibus iuuantur.

Nec verò ex consuetudine tantùm Romana, aut vt (loquitur vno in loco) ex solennitate tantùm Romana nonnulla trahit, sed nonnunquam & ex Romana historia. Atque adeo alicubi nos docet, morem eius esse, historiam miscere: id est, in fictione sua poetica simul ad historiam alludere.

Sicut autem critici fuerit hęc omnia quæ dicta sunt aliáque nonnulla quæ libertati seu licentiæ poeticæ permittuntur considerare, vt non temere poetam reprehendat: ita etiam eius fuerit perpendere an poeta suo loco ea seu libertate seu licentia vsus sit. Neque enim ea quæ locis quibusdam conuenit, aliis etiam omnibus conuenire existimãda fuerit. Exempli gratia, licet Virgilius plerisque locis secundum ritum seu morem Romanũ loqui sibi concesserit, nequaquam id vbique, nisi præter decorum, concedere potuit: ac est etiam fortasse aliquis vbi illum non satis criticè (vt ita dicam) id sibi permisisse, quispiam ex criticis dixerit.

Nec verò minus diligenter animaduertẽdum est vbi poeta licere sibi voluerit opinionẽ vulgi sequi: nam hoc non animaduersum fecit vt loci nonnulli immerentes reprehenderentur. Ex iis autem est quidam, in quo etiam mentionem Seruij facere necesse habeo: & quidem ita vt eius defensionem aduersus eos qui poetam carperent probem, sed eum quo in illa vtitur sermonem improbem. In hunc enim locum libri Georg. primi,

Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi,

scribit, eum sequi vulgi opinionem. nõ enim omnia prudenter à poeta dicenda esse. At quis de hoc illi assentietur, non omnia prudenter à poeta dicẽda esse? Imprudenter certè hoc *prudenter* scripsit: quum longè aliud sit, dicere quidpiam sequendo vulgi opinionem, quàm aliquid non prudenter dicere. Tolerabilius certè fuisset loquutus, si vocabulo Sapienter vsus foret. Nam illarum omnium rerum cognitio quæ

quæ & à vulgi opinione dissidet & captum ingenij ac iudicij eius superat, sapientia posse appellari videtur. Talia sunt ea physica quæ subiũgit. scribit enim, quòd videmus è cœlo stellas quasi labi, ἀποῤῥοίας esse ignis ætherij, quæ fiunt quum vehementior ventus altiora conscenderit,& trahere exinde aliquas particulas cœperit, quæ simulant casum stellarum. Cæterùm vt rectè alioqui dixerat illum opinionem vulgi sequutum esse, ita rectè & paulo pòst ab illo idipsum dicitur in hæc verba, *--& bibit ingens Arcus.* Sic certè & Propertius, *Cæruleus pluuias cur bibit arcus aquas.* Quinetiam Tibullus de eodem,

Quamuis prætexens picta ferrugine cælum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

Præsertim verò Plauti locus istud confirmat,ex vulgi opinione dictum id esse. Legimus enim apud eum,

Ecce autem bibit arcus: pluet credo hercle hodie.

Verùm ad illum de stellis cadentibus versum vt reuertar, cautius certè ea de re scripsisse videri potest Naso,quum ita ex vulgi opinione loquatur,vt simul falli ostendat. Scribit enim Metamorph. lib. 11,

At Phaëthon rutilos flamma populante capillos
Voluitur in præceps,longóque per aera tractu
Fertur: vt interdum de cælo stella sereno
Etsi non cecidit,potuit cecidisse videri.

Nec immeritò (vt opinor) hãc sermonis formã aliqd cõmune habere dixerim⁹ cũ ista, *aut videt, aut vidisse putat*, in qua Virgilius Apolloniũ Rhodiũ est imitatus, vel potius interpretatus,scribentẽ, ἢ ἴδεν, ἢ ἐδόκησεν ἰδεῖν.

Vt porro idem eadem in re peccauit vel potius peccasse visus est hic poeta Æneidos quinto, ita & ibi in idem reprehensionis genus incidit. Ibi enim

poſtquam dixit,

Nanque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signauitq; viam flammis, tenuéſq; receſsit
Conſumpta in ventos, addit,
-- cælo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt crinémq; volantia ſidera ducunt.

Vbi mirari quis poſsit, illum enarratorem (quemadmodum antea dixi) ſcribere, illum hoc poeticè dixiſſe ſecundum publicam opinionem. Quid enim minus poeticè dictum videri poteſt quàm quod è medio & quidem è vulgi opinione (nam publicam opinionem hoc ſenſu & alibi dicit) ſumptum eſt? Sed perinde eſſe puto acſi diceret, illum, poetarum libertate ſeu licentia vtentem, permittere ſibi, vulgarem opinionem aut ſaltem ſermonem ſequi. Cæterùm poſtquam dixit illum poeticè loquutum eſſe ſecundum publicam opinionem: addit, *Nam (vt Lucretius dicit) ventus altiora petens, ætherium ignem ſecum torquet, qui imitatur ſtellas cadentes.* Quas autem eſſe dicit ignis ætherij ἀπορροίας, Græci vocant etiam διαθέοντας ἀστέρας & διάττοντας. Sic (inquit Seneca) *quæ tranſuerſæ dicuntur ſtellæ & cadentes, præteruolant & ſecant aera.* Videmus porro & Lucretium eadem vſum eſſe loquendi libertate qua Virgilium, quum in ſecundo eius libro legamus,

Non cadere in terram ſtellas & ſidera cernis?

Verſus autem proximè præcedentes ſunt hi,

Nocturnáſq; faces cæli ſublime volantes
Nonne uides longos flammarum ducere tractus,
In quaſcunq; dedit partes natura meatum?

Minimè autem iis aſſentior qui in hunc Lucretij locum, afferunt iſtum Virgilij, tanquam cum Lucretiano conuenientem,

--ſuadéntq;

--suadéntq; cadentia sidera somnos.

Alio enim sensu (vt opinor) hîc cadere sidera dicuntur quàm ab ipsomet Virgilio, Georg. libro primo, *stellæ Præcipites cælo labi.* Nam vbi scribit, *--suadéntque cadentia sidera somnos* (scribit autem initio libri secundi Æneidis) iam propè exactum esse noctis tempus indicat: sicut libro octauo, his verbis, *primísque cadentibus astris.* Vbi tamen & Seruius fallitur in eo quod putat posse *Cadentia* epitheton siderum esse. *Aut epitheton est siderum* (inquit) *quæ semper & oriũtur & occidunt: aut certè maiorem noctis partem vult esse transactam.* Imò quàm vera est posterior hæc expositio, tam est falsa illa prior. Sed & Tiberius Donatus (quod minus mirandum est) malè exponit. Fateor tamen posse etiam duram videri hanc siue audaciam siue licentiam qua dicantur cadere sidera quorum acies hebescere incipit & fulgor obscurari, sub auroram, quam iam sol aduentat. Alioqui certè de illis tanquam de sole loquutus videri posset.

Hoc verò aliud est reprehensionis genus, non bene ab hoc poeta dictum esse libro XII,

Tum Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo.

Nam aduersus hæc verba Dioscoridis de dictamno testimoniũ producitur, ex libri III, capite XXXII, nequesemen neque florem ferre dicentis. Verùm longè abeundum non erat, sed tantùm vertendum (sicut vulgò loquimur) folium, vt aliud de alio dictamini genere testimonium audiremus, ex quo non minus defendi potest noster poeta, quàm ex altero accusari.

vt omittam poſſe alioqui dici Theophraſtum ſequi.

Quid quòd alia etiam affertur lectio, in qua iſtud plantæ nomen minimè comparet? Ea enim eſt huiuſmodi,

Ipſa manu genitrix Cretæa carpit ab Ida.

quam lectionem mirum eſt adeo placere Donato vt altera reiecta hanc amplectatur, præſertim quum in reijcienda illa, ratione parum valida nitatur.

QVID quòd fuerunt qui & quaſdam interpretationes Virgilij carpere auſi ſunt? Ex iis certè Valerium Probũ eſſe videmus apud Aulum Gellium. Ad quem tamen Valerium antequam veniam, de iis dicam qui iſtud libri VI, *mœſtámque Eriphylen* reprehenderunt: quaſi poeta Homericum illud στυγερήν τ' Ἐριφύλην, interpretari volente, ſed non bene interpretante. Legimus enim in illo ſexto libro,

His Phædram Procrínq; locis, mœſtámq; Eriphylen
Crudelis nati monſtrantem vulnera, cernit.

Vbi enarrator, *Vituperatur ſanè Virgilius quòd mœſtam dixerit quam ſtygeren* (vel potius στυγερὴν Græca ſcriptura) *legit. id eſt nocentem. Nam mœſta eſt στυγερή.* Ita enim in Pariſina patris mei Roberti Stephani editione legitur: ſed in quibuſdam aliis ſecus. hæc enim verba, *Nam mœſta eſt στυγερὴ*, (vbi pro *eſt*, ſcribendum *non eſt* ſuſpicor, vt poſtea dicam) ab illis abſunt: & viciſsim ſubiunguntur nonnulla quæ abeſſe ab illa videmus. Totus enim ibi locus ita ſcriptus eſt, *Vituperatur ſanè Virgilius* (ſolet autem ita loqui hic enarrator, potius quàm dicere Reprehenditur: & illo *ſanè* in talibus locis mirum in modum gaudet) *quòd mœſtam dixerit quam* στυγερὴν *legit. id eſt nocentem. Apud enim Homerum eſt* ἴδον στυγερήν τ' Ἐριφύλην. *Immo verò odio dignam & inuiſam.*

Nam

Nam συγῶ est *Odio habeo, & Inuisus sum. Licet Mœsta est à Styge*. Sed vereor ne hæc omnia quæ illi editioni adiecta sunt, sint supposititia, quũ & à Seruij breuitate sint aliena, & aliquid ex iis omnino sit falsum. quis enim vnquam legit aut vnquam lecturus est συγῶ, quod *Inuisus sum* significet? Sic tamen legitur in edit. Veneta anni 1507, quæ Io. Baptistæ Egnatij præfationem habet: necnon in Basiliensi quæ prodiit anno 1561. At verò illam multo breuiorem scripturam habent cum aliæ nonnullæ ἐκδόσεις, quæ inter typographicas haberi possunt antiquæ, tum verò in alia quadam Veneta anni 1499, per Iacobum Zachon. nisi quòd vbi habet Parisina, *quam stygeren legit*, in ea est, *quam stygeren legit apud Homerum*. quæ certè aut adiecisse Seruium, aut subaudienda constat reliquisse. Sed nec editiones istæ quæ breuiorem illam scripturam habent, eum locum fideliter scriptum nobis exhibẽt, vt opinor. Nam quis Seruium συγερὼ exposuisse *nocentem* credat? Et tamen hæc deprauatio in illis quoque est editionibus quæ eam quam attuli adiunctionem habent: eo etiam magis in ipsis migrant quòd illa quæ sequuntur, expòsitioni illi repugnent. Ad alteram autem deprauationem quod attinet, quã hæ editiones non habẽt, quòd locus in quo est, ab iis absit, non dubium est, meo quidem iudicio, quin mihi de illius correctione omnes subscribere necesse sit: vt Seruium & paucioribus verbis hoc contentum loco fuisse & ita eum scripsisse dicamus, *Vituperatur sanè Virgilius quòd mœstã dixerit quam συγερὼ legit* (vel, *legit apud Homerum*) *nam mœsta non est συγερή*. Et de his quidem placuit lectorem admonere, tum, ne Seruiũ, dum reprehendentiũ hunc Virgilij locum

mentionem facit, in multo iustiorem incidere reprehensionem permitterem: tum, vt quanta cum cautione multos huius enarratoris locos legere nos oporteret, vel huius ipsius exẽplo ostenderem. Interim tamen nolim te, eos etiam qui apud illum suspicione omni carere debent locos, suspectos habere: vt à quibusdam haberi video, ídque hanc potissimum ob causam, quòd repertũ esse quoddam vetus exemplar audiuerint, vbi multa longè aliter legantur. Talia enim illa non esse (licet non pauca quæ magni momenti sunt, vel plura in illo exemplari sint quàm in typographicis editionibus, vel aliter scripta) vt tantam nobis suspicionem afferre debeant, in meis Schediasmatum variorum libris ostendo. Cæterùm Homeri versus ex quo verba illa petita sunt, est hic, ex Odyss. libro λ,

Μαῖράν τε Κλυμένην τε ἴδον, στυγερήν τ' Ἐριφύλην.

Verùm ne, dum Seruium defendo, ipsum defendere Virgilium obliuiscar, immeritò carpi apud Virgilium illud *mœstam* dico, quasi Homericum στυγερὴν interpretari volentem, sed malè interpretantem. Cur enim illum id vocabulum Homeri στυγερὴν interpretari voluisse dicemus, quum id facere minimè necesse habuerit? Cur enim illi hîc idem quod alibi non licuerit, in quibusdam Homeri locis ab eius tamẽ verbis aliqua ex parte discedere?

Sed in eorum mentione qui aliquam Virgilij interpretationem criticè aut tanquam critici reprehenderunt, tacendus non est Valerius Probus, à quo carpẽte illam insignem alioqui Didonis cum Diana comparationem, inter cætera verbi γέγηθε interpretatio reprehenditur. Scribit enim Gellius, ex Probi censura,

censura, Homericam quidem Latonam gaudium gaudere genuinum & intimum, atque in ipso penetrali cordis & animi vigens: at Virgilianæ Latonæ gaudia esse pigra & leuia & cunctantia, & quasi in summo pectore supernantia.

Verùm, quum & alia (vti dixi) in comparatione illa reprehendat idem censor, audiendus est ipse Gellius, quænam ea sint narrans, libri noni capite nono. Postquam igitur quædam de ratione vertendi imitandíque insignes sententias, allatis etiam exemplis è Virgilio, disseruit, *Et quoniam* (inquit) *de transferendis sententiis loquor, memini audisse me ex Valerij Probi discipulis, docti hominis & in intelligẽdis pensitandísque veteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere, nihil quidquam tam improsperè Virgilium ex Homero vertisse, quàm versus hos amœnissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit,*

Οἵη δ᾽ Ἄρτεμις εἶσι κατ᾽ οὔρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ Τηΰγετον, &c.

Vbi obserua, laudem Valerio Probo tribui, quæ si verè illi tribuitur, verè profectò critici nomine dignus fuit. Quod enim critici esse officium potius dicemus quàm hoc? hoc inquam, vetera scripta callidè pensitare? Sed ad illam censuram veniamus. *Primum omnium* (inquit) *diuersum esse dicebat Probus, quòd apud Homerum quidem virgo Nausicaa, ludibunda inter familiares puellas in locis solis, rectè atque commodè confertur cum Diana venante in iugis montium inter agrestes deas: at Virgilium nequaquam rem conueniẽtem fecisse: quoniam Dido in vrbe media ingrediens inter Tyrios principes, cultu atque incessu serio, instãs operi (sicut ipse ait) regnísque futuris, nihil eius similitudinis capere posset quæ lusibus atque venatibus Dianæ congruit. Deinde Homerum studia atque oblectamẽta in venando Dianæ honestè*

aptéque dicere: Virgilium autem, quum de venatu deæ nihil dixisset, introducere tamen ferentem pharetram in humero, velut onus & sarcinam. Hæc ille: ad quæ antequam respondeam, te monebo, pro illis, *Primum omnium diuersum esse dicebat Probus*, ista legi in quibusdã veteribus, *Primum omnium id visum esse dicebant Probo.* quam lectionẽ sicut alias plerasque, ex multis vetustis codicibus sumptas, & à vulgatis non parum discrepantes, habet illa editio quæ ante biennium prodiit cum meis Parisiensibus in illas Noctes Atticas Noctibus. Neque tamen negauerim, alteram quoque illam posse tolerabilem videri: sed ita vt tolerabiliorem futurã fuisse dicendum sit, si post hæc verba, *quòd apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludib.* &c. continuata orationis forma, scriptum esset, *apud Virgilium autem Dido in vrbe media ingrediens inter Tyr. princ.* Verùm, vt ad Probum reuertar, ad multa illius verba paucis responderi posse arbitror, si dicamus satis esse si comparatio in eo quod in illa præcipuum est & quidem eius præbet occasionem, conueniat: quoniam cætera velut appendices eius sunt tantummodo. Ac, quum hoc de ista Virgiliana posse dici, antea ostenderim, te vt eum locum in vna ex præcedentibus huius libri paginis legas (ea est autem potissimum 109) monuisse, satis habebo.

Immo verò nõ satis id mihi erit, sed istud ἐπιμετρήσω, Virgilium loqui de regina, inter quam & illam νεάνιδα Nausicaam commune hoc erat, quòd ex amore τὰς γε φρένας νεάζειν, & παίζειν, & modo non σκιρτᾷν dici posset: quãuis interim externa omnia, vt suæ ætati, ita etiam regiæ maiestati, conuenientia haberet. Illa autem reprehensio de pharetra quam dat Dianę, nulla venationis facta mẽtione, perinde ac si onus & sarcinã

ferentem

ferentem induceret, vereor ne videri etiam queat ridicula. Quis enim quærat cur Dianæ pharetra detur, nisi qui quæsiturus etiam sit cur Apollini cithara tribuatur?

Quinetiam aliam censuram aduersus vnum illius comparationis versum addere solebat Probus, vt idem ibidem refert. Pergens enim de illius discipulis loqui, (ex quorum relatione & superiora se habere dixerat) hæc adiicit, *Atque illud impensè Probum esse demiratum in Virgilio dicebant, quòd Homerica quidem* Λητὼ *gaudium gaudeat genuinum & intimum, atque in ipso penetrali cordis & animæ vigens (siquidem non aliud est* γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ*) ipse autem, imitari hoc volens, gaudia fecerit pigra & leuia & cunctantia, & quasi in summo pectore supernantia. Nescire enim sese quid significaret aliud Pertentant.* Hæc ille. At ego miror cur impensè miratus aut etiã demiratus sit Probus hãc Virgilij interpretationem: miror quibus argumentis probare se posse crediderit, talia esse illa gaudia quæ pectus pertentare dicuntur. Nam si verbum Tentare, ex quo esse Pertentare notum est, nihil vehementiæ haberet, quomodo ab Horatio (vt alia exempla omittam) de morbo non leui, sed vno eorum quos Latini Græcorum exemplo acutos vocarunt, dici potuisset? Scribit enim,

Si latus aut renes morbo tentantur acuto.

Quid quum verbum hoc illam epitaticam particulam assumit? Verùm & hoc videamus, an numerorum lege in eas angustias compulsus esset, vt hoc verbo, licet non satis apto, contentus esse deberet. Immo verò dicere alioqui poterat,

Latonæ tacitum peruadunt gaudia pectus.

Poterat & ita,

Latonæ in tacitum permanant gaudia pectus.

Poterat hoc quoque modo illud exprimere,

In tacitum penetrant Latonæ gaudia pectus.

Denique & ita loqui ei licebat,

Latona hinc tacita persentit gaudia mente.

Quòd si à me, cui fortasse multo magis quàm aliis plerisque curta est supellex, in tot mutari formas versus ille potest, quanto plures Virgilium ex suo tam diuite penu depropturum fuisse putamus, nisi cognouisset primam illam habere vnde omnibus satisfacere deberet? Non video autem quomodo vsum huius verbi reprehēdere hîc potuerit Probus, nisi idē & aliis duobus in locis fecerit: nimirū in hoc libri VII,

Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque oßibus implicat ignem.

& isto Georg. primi,

Nónne vides vt tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantùm notas odor attulit auras?

Sed, quoniam respondere posset Valerius Probus, se non minus hoc in versu quàm in eo de quo agitur, verbi istius vsum improbare: (nec certè mirū fuerit, eum qui vno in loco voce quapiam abusus sit, in alio quoque aut etiam in aliis idem facere) ex alio scriptore, qui & Virgilio est antiquior, & non paruæ autoritatis, exemplum vsus verbi illius afferam. Is est Lucretius. nam primùm ad locum illum quem postremò attuli quod attinet, apud eum verbum istud eidem nomini iunctum habemus, libro VI. nam vt apud Virgilium legimus, *tota tremor pertentet equorum Corpora:* sic apud illum

Inde tremor terras grauiter pertentat. Iam verò & simplici verbo Tentare maiorē inesse vim quàm

crediderit Probus, apparet ex hoc eiusdẽ poetæ loco,

Et quàm quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.

Subit porro vereri ne Probum illud etiam *tacitum* offenderit. At mihi tamẽ non absimile vero est, Virgilium ex Homero eius occasionem sumpsisse: apud quem aliter intellexerit illud φρένα quàm ipse Probus: quasi γέγηθε φρένα dictum ita esset vt alibi ἐν θυμῷ χαῖρε: eo videlicet in loco, Ἐν θυμῷ γρηῦ χαῖρε, καὶ ἴσχεο. His enim significatur quod Tibullus hoc pentametro dicit, *In tacito cohibe gaudia clausa sinu.* quamuis alioqui datiui θυμῷ adiectio, non præfixa illa præpositione, alium quoque cum χαίρειν etiam & γεγηθέναι vsum habere videatur: vt in meo Græcæ linguæ Thesauro propositis exemplis ostendi.

Cæterùm Probus de eo etiã queri solitus erat, quòd Virgilius florem ipsius totius loci videretur omisisse, quia hunc Homeri versum exiguè sequutus esset,

Ῥεῖα δ᾽ ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

sed contra, sine vllo comparationis dispẽdio potuisse omitti, docui itidem in iis quæ præcedunt: vt videbis, si ad paginam 112 regredi molestum non fuerit.

Enimuerò istud quoque in Probi verbis considerandum, dici ab eo, nihil tam improsperè Virgilium vertisse: quasi verò & aliis in locis illum non prosperè interpretandi munere functum esse constet. At ego contrà aut nullum locum aut alios quosdam potius quàm hunc improsperè vertisse illum dico.

SVNT autem & alij loci Virgiliani, in quibus boni interpretis officio functum esse illum quidam negarunt. Ex iis est is in quo Pindari de natura & flagrantia montis Ætnæ carmen æmulari voluit: vt

loquitur apud Aulum Gellium Fauorinus: qui postquam de Virgilio inter alia & hoc dixit, eum, illa quę perfecta expolitáque reliquit, & quibus sensus atque delectus sui manum supremam imposuit, omni poeticæ venustatis laude florere, sed quæ procrastinata sunt ab eo vt pòst recéserentur, & absolui, quòd mors præuerterit, nequiuerũt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine atque iudicio digna esse (itaque morbo oppressum, quum aduentare mortem videret, petiuisse orauisséque à suis amicissimis impensè vt Æneida, quam nondum satis elimasset, abolerent: vel adolerent, vt habet illa editio cui meæ Noctes Parisinæ sunt adiunctæ) adiicit, *In iis autem quæ videntur retractari & corrigi debuisse, is maximè locus est qui de monte Aetna factus est. Nam quum Pindari, veteris poetæ, carmen quod de natura atque flagrantia montis eius compositum est, æmulari vellet, eiusmodi sententias & verba molitus est, vt Pindaro quoque ipso, qui nimis opima pinguíque esse facundia existimatus est, insolentior hoc quidem in loco tumidiórque sit.* Antequam autem vlterius pergam, monendum lectorem puto, in illa quam dixi noua editione non *sensus* sed *census* scriptum esse, vbi eorum quæ Virgilius perfecta expolitáque reliquit, fit mentio. Quæ noua lectio quamuis fronte prima videri mendosa possit, siquis tamen in isto nomine *census*, ad verbum illud *recenserentur*, quod non longo interuallo sequitur, respiciat, non aspernanda, (ne dicam alteri præferenda) videbitur. Vt verò ad Fauorini sermonem redeam, *Atque vti vosmetipsos* (inquit) *eius quod dico arbitros faciam, carmen Pindari quod est super monte Aetnæ quantulum mihi memoriæ est dicam.* Cui sermoni ipsius locum Pindari subiũgit, ab his verbis initium sumés,

Τᾶς

Τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται ἐκ μυχῶν παγαί.

Ac poſtquam totum locum protulit, *Audite nunc* (inquit) *Virgilij verſus: quos inchoaſse eum verius dixerim quàm feciſſe. Portus ab acceſſu ventorum immotus,* &c. Criticum autem, vbi ſequentia adiecit, agens, *Iam principio* (inquit) *Pindarus veritati magis obſequutus, id dixit quod res erat, quódq; illic vſu veniebat, quódq; oculis videbatur, interdiu fumare AEtnam, noctu flammigare: Virgilius autem, dum in ſtrepitu ſonitúq; verborum conquirendo laborat, vtrunq; tempus, nulla diſcretione facta, confundit.* Ac cætera perſequens, & in illis non minus criticæ cenſuræ libertate (vt ita loquar) vti volens, addit, *Atque ille Græcos quidem imitatus, fontes ignis eructare, & fluere amnes fumi, & flammarum fulua & tortuoſa volumina in plagas maris ferre, quaſi quoſdam igneos amnes, luculentè dixit: at hic noſter, atram nubem turbine piceo & fauilla fumantem,* ῥόον καπνοῦ αἴθωνα *interpretari volens, craſsè & immodicè congeſsit: globos quoq; flammarum, quod ille* κρουνοὺς *dixerat, duriter & ἀκύρως transtulit.* Ad ſequentia pergens, ſimúlque reprehenſionem ſuam continuãs, ſubiungit, *Item, quod ait, ſidera lambit, vacanter hoc etiam accumulauit & inaniter.* Quinetiam dixiſſe illum refert Gellius, id quoque inenarrabile eſſe & propemodum inſenſibile, quòd nubem atram fumare dixit turbine piceo & fauilla candente. Fumare enim non ſolere neque atra eſſe quæ ſunt candentia. Niſi ſi *candenti* dixit peruulgatè & impropriè pro feruenti fauilla, non pro ignea & relucente. Nam candens ſcilicet eſt à candore dictum, nõ à calore. Ac, ne qua pars huius loci irreprehenſa relinquatur, adiicitur ex eodẽ Fauorino, quòd ſaxa & ſcopulos eructari & erigi, eoſdémque ipſos

ſtatim liquefieri & gemere atque glomerari ſub auras dixit hic poeta, hoc nec à Pindaro ſcriptum eſſe, nec vnquam fando auditum: & omnium quæ monſtra dicuntur (niſi *monſtroſa* potius quàm *monſtra* ſcribendum eſt) eſſe monſtroſiſsimum.

Eandem verò cenſuram iiſdem ac totidem fere verbis apud Macrobium legimus, eam ſibi, eadem impudentia qua & alios pleroſque Gellij locos, adſcribentem. nihilo enim magis Fauorini quàm Gellij vllam mentionem facit. Quo autem plures accuſatores habuit hic locus, eo magis operæpretium fuerit & aliquem eius defenſorem inueniri. Quid ſi verò iam inuẽtus eſt? Immò ne dubitandum quidem eſſe hac de re dicent omnes qui Iouiani Pontani dialogum, quem inſcripſit Antonium, legerint. Quæ igitur ad Virgilij defenſionem ab eo afferuntur, nec pigebit nec pudebit adſcribere: &, ſiqua inſuper ad eam facientia in mentem mihi venient, illis adiicere. Primùm igitur dicit, Virgilium ipſum præ ſe ferre, id conſilij ſibi non fuiſſe vt vellet pro aſſumpta & quodammodo deſtinata materia deſcribere: nec rei cauſas exquirere, vt à Claudiano exquiruntur: nec ſpumantis materiæ flumina velle oſtendere, vt voluit Pindarus: ſed quũ deſcribere portum Æneæ ore cœpiſſet, dixiſſétque ab aduentu ventorum immotum, & ingẽtem ipſum quidem, ſubiunxiſſe rem maximè admirabilem, adeóque monſtroſam, cuius Æneas ipſe memor factus eſſet, vt à portus deſcriptione, rei ipſius miraculo auerteretur. Hoc eſt ſermonis illius principium: quem antequam vlterius perſequar, ipſum Virgilij locum totum afferam,

Portus ab acceſſu uentorum immotus, & ingens

Ipſe,

Ipse, sed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis.
Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo & candente fauilla:
Attollítque globos flammarum, & sidera lambit.
Interdum scopulos auulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactáque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundóque exæstuat imo.

Ipse (inquit) portus, ingens quidem, hoc est, nauium plurimarum capax: sed auditu, sed visu mirabile est, Ætnam montem terrificis iuxta ruinis tonare. Qua commotus admiratione, atque à portu auersus, in illa explicanda primùm ab auditu cœpit. Atque hîc artificiosi poetę prudens consiliũ apparet, quòd in admirabili re enarrãda tractum se admiratione ipsa, ab initio statim ostendit. Quum enim nulli corporum videantur conflictus, è quibus soni fiunt, esse tamen audire non sonitum modò sed tonitrum ex horrificis montis eius ruinis. Et aliquanto pòst, Dehinc, inquit, quuũ auditui satisfecisset, trãsit ad visum, aliquanto longius (nisi dicendum fuit diutius) in parte hac immoratus, vt per hunc sensum rem admirabiliorem redderet: quòd videndo quàm audiendo apparere plura soleant. Deinde, ad illud respondet de quo inter alia queritur Fauorinus, Virgiliũ vtrunque tempus, diei videlicet & noctis, nulla discretione facta, confudisse. eum enim dicit, vt audiẽtium animos magis ac magis rei miraculo afficeret, non secreuisse ea quæ noctu quæve interdiu viderentur, Pindari exemplo: sed dixisse *interdum*: id est, nunc hoc, nunc illud.

Ad illud autem Fauorini, (quod tamen Gellio adscribit, haud scio qua de causa) perperam dictum esse

nubem atram fumare turbine piceo & fauilla candente, ita respondet vt neget animaduersum ab illo esse antiquissimum & Latinissimũ loquẽdi morem, Virgilio etiam familiarissimum. neque enim dixisse, *fumantem candente fauilla*: sed, *nubem candente fauilla*: vt dicitur Puella forma adeo venusta: &, Magno vir ingenio: &, quod in loco maximè simili legitur, *Ipse Quirinali lituo paruáq; sedebat Succinctus trabea.* Sicut enim ibi non *succinctus quirinali lituo*, sed *succinctus parua trabea*, Quirinalémq; tenens seu gestans lituum: sic neque hîc dici *fumantem fauilla candente*, sed *fumantem turbine piceo*, & emittentem seu spargentem atque efflantem simul candentem fauillam. Expressisse enim quod fieri sæpissime in aere videmus, vt è nigerrimis nubibus post tonitrum erumpant fulgura & coruscationes, videatúrque interdum cœlum dehiscere flammásque euomere: ac dici non posse quàm sibi vndique constet in similitudine eorum quæ fiunt in aere.

Antonium autem refert solitum eos irridere qui Virgilium dicerent voluisse montis Ætnę flagrantiá ad Pindari imitationem exequi, eósque & cæcutire & delirare censuisse: nec Fauorinum sed Fabarinum vocasse, eúmque naso suspendere. Pindarum enim ad fontium, fluminum, fluctuum similitudinem, rem omnem exequi: at Virgilium, nulla huiusmodi similitudine vsum, rebus ipsis inhærere, & quàm potest & Æneæ narrantis dignitas patitur, verbis explicare, ab ipso igne & à nubibus, & ab iis quæ in aere fiunt non recedentem. Et Pindarum quidem solum fluxum & scaturiginẽ habere quam in aquis imitetur: at Virgilium omnia pro materia próque suscepta explicatione à rebus ipsis non aliunde sibi ducenda atque

ostendenda

ostendenda assumere. Ait denique videri Virgilium posse parum hac in parte Pindarum probauisse, qui, dum se totum ad amnes, ad fluctus, ad scaturiginem vertit, eructationem ipsam, quæque inter erumpendum eructandúmque contingerent, inexpressè leuitérque attigerit, nec monstrũ illud suum tum auditu tum visu mirabile plenè absoluerit. Affert verò & aliũ huius poetæ eadem de re locum,

Vidimus vndantem ruptis fornacibus AEtnam
Flammarúmque globos liquefactáque voluere saxa.

Atque hæc cum istis confert,

Interdum scopulos auulsáque viscera montis
Erigit eructans, liquefactáque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat.

Prudentissimè omnia, inquit. nam *interdum*, quia non semper. & *cum gemitu*, quia tanta ebullitio & pugna illa intra cauernas, ventorúmque ac cõcepti ignis violentus ac præceps exitus, absque ingenti fragore fieri nequit. Et *erigit eructans*, quia ruptis caminis ac velut effractis claustris, igne, vento, vaporibus, quæcunque obuiam facta sunt, in altum tolluntur. Et quum dicit *glomerat*, ostendit pugnam confligentium corporum: (quò tamen à poeta in verbo illo respici, nescio an ei sit assentiendum) & quum dicit *viscera*, & *liquefacta*, & *auulsa*, designare tum ingentissimam vim ventorum, tum quòd ignis est excoquere ac liquefacere lapides: tum quòd materia ipsa monte continetur, atque illic generatur. Dixerat autem aliquanto antè, Pindaro quidem dare posse veniam lyricum carmen: at Virgilio implendam fuisse tubam illam heroicam. quod ab eo ita factum esse, vt monstrum Pindaricum per tonitrum, ruinas, turbinem, picem, candentem fauil-

lam, erectos scopulos, auulsa viscera, saxa liquefacta sub auras, ad sidera vsque intonet, & aures, oculos, animósque admiratione simul atque horrore compleat. Et ad verba illa veniens,

-sed horrificis iuxtà tonat AEtna ruinis,

eum cœpisse à tonitru dicit, in quo Pindarus obmutescit. [illegible]

Atque hîc ad illam Fauorini reprehensionem reuertens, de eo quòd tempus vtrúque nulla discretione facta confuderit, eum id fecisse ait, tum vt rem admirabiliorem redderet, tum vt qualis res ipsa esset exprimeret. Neque enim noctu solùm illos flãmarum globos cerni, sed etiã interdiu, quoties & aer est nubilus, & cacumen montis exanhelatis incendij fumigationibus caligat atque offunditur.

Ad illud autem quod obijci possit eum omisisse, fluere videlicet liquescentem illam materiam mare versus, ita respondet, vt dicat, primùm nec mare versus semper fluere (nam & sæpenumero in mediterranea elabi) deinde quòd quum dixisset, *sub auras glomerat*, visum illi esse, quodcunque adderetur, minus futurum: vt profectò minus est mirum fluere decidentem illam liquefactámque materiã, quàm ex imis terræ visceribus ad auras maiore quàm exprimi possit impetu ferri. Itaque hoc omisso, vel potius despecto ac repudiato, concludere, *fundóque exæstuat imo:* relinquentem, in audientium animis, quæ non cernerentur, cum admiratione cogitanda, atque, qui intus æstus, quæ ruinæ, quanta etiam certamina, ex ijs quæ oculis obijcerentur, æstimanda.

De isto autem hemistichio, *& sidera lambit*, quod Fauorinus vacanter & inaniter accumulasse illũ pronuntiauit,

nuntiauit, ſcribit, eum hæc addidiſſe, vt, quò vltra prodiret non haberet. Et alibi, exuperantiam eſſe ait poetarum propriam, quæ vix alij cuiquam loco magis quàm iſti conuenire poſſit.

Cætera apud eum videnda relinquam, (& nominatim ea quibus Virgilium tanquam nimis hoc loco tumidum iure accuſari negat) & meam de iſta defenſione ſententiá proferens, hoc primùm dicam, illam Virgilianorum verſuum reprehenſionem, tanquam Pindari verſus malè interpretantium, meritò reprehendi: quum minimè illis propoſitum fuiſſe eos interpretari, ſed tátùm aliquid eorum imitari, non ſolùm ſit credibile ſed planè credendum ſit: ideóque hîc eodem defendi modo poſſit quo & antea defendendum aiebam de eo quòd mœſtam Eriphylen dixit, quum Homerus στυγερὴν Ἐριφύλην dixiſſet. Hoc deinde addam, hunc defenſorem non debuiſſe (meo quidem iudicio) negare poſſe dici *fumantem candente fauilla*, ſed concedere ita dictũ eſſe, ſimúlque contendere, ita loqui eum potuiſſe: &, ſi qua hîc acyrologia vti ſibi permiſerit, eã potius in vocabulo *fauilla* quàm in *candente* eſſe. Neque tamen interim inficiari velim, dici poſſe *nubem candente fauilla*: ſed crediderim, hunc poetam, ſi ablatiuo ita vti voluiſſet, potius hæc verba præpoſiturum quàm poſtpoſiturum fuiſſe: & dictu-rum, *-nubem candente fauilla, Turbine quæ fumat piceo.* Verùm, ſi Pontano concederem, ita Virgilio patrocinandum eſſe, at certè alium locum ab eo in exemplum afferri debuiſſe dicerem quàm iſtum,

Ipſe Quirinali lituo paruáque ſedebat
Succinctus trabea,

Quamuis enim ea huius loci expoſitio quam affert,

autoritate Gellij nitatur, minimè tamen necesse videri ad eam confugere, vt ipsum aduersus Higinum defendat, ostendam in sequentibus.

PRIVS autem alia, quæ idem Higinus, criticè, aut saltem criticum agens, in eodem poeta notauit, proponenda simul & examinanda sunt. Scribit igitur idem Noctium Atticarum autor, libri decimi capite decimosexto, reprehendi ab Higino Virgiliũ de eo quod in libro VI. legimus, de Palinuro apud inferos petente ab Ænea vt suũ corpus requirat, & sepeliendum curet. Ibi enim eum hæc dicere,

Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram
Inijce (nanque potes) portúsque require Velinos.

Quærit enim quomodo Palinurus aut nouisse, aut nominare potuerit portus Velinos, & Æneas ex eo nomine locum inuenire: quum Velia oppidũ, à quo portum qui in eo loco est Velinũ dixit, Seruio Tullo regnante Romæ post annum amplius sexcentesimum quàm Æneas in Italiam venit, conditũ in agro Lucano & eo nomine sit appellatum. Ex iis enim qui ab Harpalo Cyri regis præfecto ex terra Phocide fugati sunt, alios Veliam, alios Massiliam condidisse. *Inscitissimè igitur* (inquit) *petit vt AEneas portum Velinum requirat, quum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentium.* Quinetiam occurrẽs illi quod pro Virgilio respondendum esse videbatur, fatetur quidem poetas quædam κατὰ πρόληψιν historiæ (quam vocari anticipationem, antea docui) dicere ex sua persona solere quæ facta ipsi postea scire potuerint: atque hoc illis cõcedi: sicut Virgilium sciuisse de Lauino oppido & de colonia Chalcidensi (atque hinc -*Lauináque venit Littora*, item *Chalcidicáque leuis tandem super astitit arce*, dixisse)

ſe) *ſed Palinurus qui potuit* (inquit) *ſcire ea quæ poſt annos ſexcentos facta ſunt*? Quibus addit & aliud quod afferri poſſe ab aliquo Virgilij defenſore videbatur: *Niſi quis* (inquit) *eum diuinaſſe apud inferos putat, perinde vt animæ defunctorum ſolent*. Verùm & huic defenſioni ita occurrit, *Sed & ſi ita accipias* (*quanquam non ita dicitur*) *AEneas tamen, qui non diuinabat, quo pacto potuit requirere portũ Velinum, cui nomen tunc, ſicuti diximus, nullum fuit*? Hæc ille: qui tamen hoc Virgilio per imprudentiam excidiſſe videtur arbitratus eſſe, non autem ignorantia erraſſe, quum dicat ſe exiſtimare, illum, niſi mors occupaſſet, correcturum fuiſſe.

Nunc, an Iouiani Pontani defenſio huic accuſationi ἰσόῤῥοπος dici poſſit, videndum eſt. Is poſtquam dixit, Iulium Higinum ſibi non videri æquum, qui Virgilium accuſet quòd littus Velinum ex ore Palinuri dixerit, quum Veliam Seruio Tullo regnante conditam fuiſſe tradat, ſexcenteſimo poſt Æneæ aduentum in Italiam anno, aut etiam amplius: acſi poetis permiſſum non ſit quædam etiam ad ſua tempora in carmine referre, vt locorum, vt fluminum nomina, vt armorum genera: addit, *Dicat mihi velim Higinus cur non etiam accuſat Virgilium, quòd AEneam, qui Troianus eſſet, Latinè loquentem inducat*. Et multa huiuſmodi permittenda poetis eſſe dicit, in quæ ipſos incidere, etiam volentes, non rerũ ignorantia deceptos. Hæc ille: inter quæ vnum eſt quod illi fortaſſe multi non conceſſerint, non minus licuiſſe Virgilio nomen vſurpare quod ſua, non autem eius quem loquentem inducit ætate in vſu eſſet, quàm AEneæ Latinum ſermonem tribuere, quum tamen Troianus eſſet. fieri enim poteſt vt quiſpiam alia etiam quàm ſua lingua

vtatur: at verò vt aliena lingua vtens, locum aliquem eo nomine quod nondum ipsi impositum sit appellet, id verò quî fieri potest?

Sed quoniam Higino à quibusdam hoc obijcitur, tanquam absurdè dictú, nullum nomen eo quo ista contigisse narrantur tẽpore, huic portui fuisse: quum necesse fuerit Palinuro, ad locum indicandum, aliquod ei nomen dare: videndum ne mendosè scripta sint apud Gellium ista, *quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum vsquam fuit?* & scribi debeat, *cui nomen id tunc.* & hæc verba, *nullum vsquam fuit,* perinde sint intelligenda acsi dictú esset, Non fuit vsquam. Higinum enim non aliud quàm quod antea dixerat, dicere & hîc voluisse, ostendunt illa, *sicuti diximus.*

Quod autem ab Higino ad Virgilij defensionem affertur (cui tamen defensioni quid possit obijci ostendit) de Palinuri apud inferos diuinatione, perinde vt animæ defunctorum diuinare solent, non fuisse ab eo excogitatum, sed ab aliis iam allatum, ex eo credibile est quòd à Seruio quoque eius fit mentio. Postquam enim dixit, Veliam tempore quo Æneas ad Italiam venit, nondum fuisse: ideóque esse anticipationem: addit, *Quanquam alij ad diuinantis scientiam referunt, quasi ab vmbra dictum, cui præcognitum erat, id nomen per posteros illi imponendum.* Quinetiam adijcit, *Ergo portus Velinos, id est, vocandos aliquando Velinos.* Sed in mentem Seruio non venit, sicut Higino, quod huic defensioni potest opponi: nimirum, quomodo Æneas, qui non itidem diuinabat, portum Velinum potuerit requirere. Ad quam aduersariam quęstionem non male fortasse respondebit qui dicet debere à nobis κατὰ

τὸ σιω-

τὸ σιωπώμενον intelligi, Æneam Palinurum interrogasse quinam illi portus essent quos Velinos appellabat. Esse enim & alia multa quæ nisi κατὰ τὸ σιωπώμενον à nobis intelligantur, miraturi & reprehensuri simus, antea monui.

Verùm (vt tandem aliquid noui afferam, quo & Higino respõdeam & Virgilio patrociner) cur non, poeticæ fictionis licẽtia, fingere ei licuerit, id nomen, quod recens aut saltem penè recens erat, vetus fuisse? Hoc enim si admittatur, ne anticipationem quidem allegare necesse erit: ad quã alioqui non dubito quin sit confugiendum: quamuis & huic aliquid Higinus opponat. Sed animaduertere debuit, poetas duobus modis anticipatione vti, nonnunquam in persona sua, interdum & in eius persona quem loquentem inducunt. Quum autem dicat in hunc locũ Seruius, illam quidem, esse tolerabilem: at hanc, vitiosam: ego, quam vitiosam vocat, durã tantummodo dicendam esse, ausim contendere.

Hvic loco alium subiungit Higinus, quẽ itidem correcturum fuisse Virgilium, nisi mors occupasset, existimat. Nam quum Thesea inter eos nominasset, qui ad inferos adissent ac redissent, dixissétque,

-quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Ioue summo est:

postea tamen inferre,

-sedet æternúmque sedebit Infelix Theseus.

Et tanquam existimans repugnantia eum loqui, *Quî fieri potest* (inquit) *vt æternùm apud inferos sedeat, quem suprà cum illis nominat qui descenderint illuc, atque inde rursum euaserint? Præsertim quum ita sit fabula de Theseo, atque si* (ita enim scribendum, non *atque sic*, vt in superioris tem-

poris editionibus legitur) *Hercules eum euellerit è petra, & in lucem ad ſuperos reduxerit.*

Atqui Theſeus (vt in eodẽ illo dialogo idem Pontanus ſcribit, ad hanc obiectionem reſpondens) viuens Herculem ad inferos eſt ſequutus: inde autem Herculis ipſius præſidio euaſit, vt eſt in fabulis. Poſt mortem verò, quum anima eius ad inferos delata eſſet, nunquam ad viuentes rediit, ſed propter filium iniuſtè occiſum, ſedet illic, atque æternùm ſedebit, iniquiſſimam Hippolyti mortem infeliciter deplorans. Rectè igitur & antè viuum rediiſſe ab inferis ait (vnde argumentandi locũ AEneas cepit) & pòſt inter eos qui mortui eſſent enumerat. Neque enim hæc ſibi aduerſantur. Hactenus ille: à quo fortaſſe dicet aliquis afferri & iſtud debuiſſe, ita AEneã facere mentionem Theſei inter eos qui ad inferos ierint atque inde redierint, vt tamen ex eius verbis reditus illius minimè colligi poſſit: multo etiam minus ex verbis Sibyllæ: quum dicat,

-facilis deſcenſus Auerni,
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Ac certè, quamuis paſſim legamus, Theſeum ab Hercule eſſe liberatum, quum ad rapiendã Proſerpinam cum Pirithoo profectus, vnà etiam cum eo comprehenſus & vinctus fuiſſet: Seruius tamen (tanquã hoc diſſimulans) non aliud ſcribit, quàm Theſeũ rapiendæ Proſerpinæ cauſa ad inferos cum Pirithoo veniſſe, & illic retentum pœnas luere. vnde ſcriptum eſt ab eodem poeta, *-ſedet æternúmque ſedebit Infelix Theſeus.* Et vbi ad eum huius ſexti libri locũ venit in quo verba

verba illa habentur, *ſedet, æter.* &c. *contra opinionem* (ſcribo autem *publicam opinionem*, aut *vulgarem opinionem*) dictum hoc eſſe tradit: quòd feratur ab Hercule eſſe liberatus, quo tempore ita eum abſtraxit vt illic corporis eius partem relinqueret. In illum autem præcedentem locum, *Quid Theſea?* annotarat etiam, durum eſſe exemplum: ideóque in eo non eſſe immoratum. Et addit, *Dicit autem inferos debere patêre pietati, qui patuerunt infanda cupienti.* Vocari igitur ab eo *durũ exemplum* puto quod eſt odioſum.

Quinetiam aliud fortaſſe nobis Virgilium defendere volentibus, patere effugium aliquis exiſtimet: nimirum vt dicamus, eundē poetam diuerſas eadem de re fabulas (ſicut & in præcedentibus admonui) diuerſis in locis ſequi. Atque huic patrocinio patrocinantem fortaſſe Seruium habere poſſemus: quamuis, vbi poetas frequēter fabulas variare ſcribit, de ea quæ apud diuerſos poetas eſt variatione loquatur. Sed parum tutum hic iſtud effugium eſſe crediderim: præſertim quũ in vno eodémque huius poematis libro variare poetam noſtrum dicendum eſſet.

Denique ſunt qui alia via hinc effugere volentes, culpam in librarium contulerint, & *Theſea* pro *Terea* ſcripſiſſe dixerint. Horum autem in numero eſt vir, vt magni nominis, ita etiam magnæ eruditionis, Ioannes Brodæus: ſic tamen vt hoc timidè quodammodo dicere videatur.

NVNC ad tertium & vltimum veniendũ eſt locum, in quem eiuſdem Higini cenſuram ibidem habemus. *Idem* (inquit Gellius) *his verſibus erraſſe Virgilium dicit,*

Eruet ille Argos Agamemnoniáſque Mycenas,

Ipsumque AEaciden, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ.

Et qua in re, vel potius quibus in rebus, errasse illum existimauerit, adiicit. *Cõfudit* (inquit) *& personas diuersas & tempora. nam neque eõdem tempore, neque per eosdem homines cum Achæis & cum Pyrrho bellatum est. Pyrrhus enim, quem dicit AEaciden, de Epiro in Italiam transgressus, cum Romanis depugnauit aduersus Manium Curium, in eo bello ducem. Argiuum autem bellum, id est Achaicum, multis pòst annis à L. Mummio imperatore gestum est.* Quòd si eidem credere volemus, vnum versum eximemus, vt hunc locum censuræ seu reprehensioni eximere possimus. *Potest igitur* (inquit) *medius eximi versus, qui de Pyrrho importunè immissus est: quem Virgilius procul-dubio exempturus fuit.*

At verò idẽ cuius & suprà mentio facta fuit, Pontanus, hanc censuram refellens, hunc reprehensorem reprehendit, primùm quòd de Pyrrho non de Perse rege dictum illud putet: quum non victus sit à populo Romano Pyrrhus, neque regnum Epirotarũ Pyrrho viuente captum sit, atque in prouinciam redactum: sed Perses, qui à Paulo ductus est ante triumphum: quo capto Macedoniáque spoliato, Æacidarum imperium finem habuit: ita vt, hoc superato, regnóque Æacidarũ deleto, populus Romanus Troiæ ruinas vltus videri potuerit. Deinde, quòd non animaduerterit, induci à Virgilio Anchisen nequaquam singulos referentem qui ab AEnea originem ducturi essent, sed quosdam tantùm: neque tempus ordinémve seruari: quippe quum de Cæsare atque Pompeio prius quàm de Fabio Marcello & Scipionibus mentionẽ faciat. Satis enim habuisse Anchisen, quibusdam

busdam nominatis, quibusdam vero à rebus quas gesturi erant significatis; spe atque gaudio futuræ stirpis AEneam implere. Ideóque, quum dicit,

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currus cæsis insignis Achiuis,

iure posse videri Mũmium, qui Achaicus cognominatus est, quíque Corinthum sustulit, significare: pòst verò, quum addit, *Eruet ille Argos Agamemnoniásque Mycenas*, alium significare. atque hunc esse Paulum, qui Persen vicit, regnúmque Æacidarum subuertit. Tandémque sermonem istum hisce verbis claudit, *Quanquam autem Paulus neque Argos euertit neque Mycenas, hoc tamen, vt AEneam soletur, ab Anchisa dicitur, cuius ipsius posteri euersuri essent Argos, siue Achaicum (quæ arx videbatur Achæorum, quorum principes aduersus Troianos coniurauerant) siue Thessalicum, quando ducum Thessaliæ virtus in eo bello plurimum enituerit, & Mycenas, Agamemnonis patriam, qui fuit Græcorum ac belli dux.* Hæc ille: qui malè in Gellium quoque tanquam Higino suffragantem inuehitur: quum ne innuat quidem quid sibi de illa Higini reprehensione iudicandum videatur. Cæterùm omittendum non est, admoneri nos à Seruio, subaudiendũ esse *ille*, cum his verbis, *Ipsúmque AEaciden.* Pyrrhum enim, quem Æaciden dicit, à Curio & Fabricio victum esse, ferentem Tarentinis auxiliũ: at verò Quintum Metellum & Mummium Argos & Mycenas vicisse. Ac Seruio adstipulantes quidã non tantùm *ille* subaudiendum hîc putarint, sed *ille alius.*

His porro Higini reprehẽsionibus addẽda est vna eiusdẽ, de epitheto vna eiusdẽ, de epitheto quod in vno eorũ qui allati sunt locorũ habemus: quã à Gellio prætermissã esse miror, quũ apud Pomponiũ Sabinũ

eã legamus. Sed vereor ne ille Higini mẽtem nõ satis intellexerit. nam legimus apud Sabinum, *Higinus hunc locum reprehendit quòd dixerit magnum, & paulo post dicat, -sedet æternúmque sedebit.* Et addit, Alexandrum legere, -*magnum Quid memorem Alciden:* quia alibi dicit, *Is magnum Alciden contra stetit.* Atqui non carpit apud Gellium Higinus illum Virgilij versum ob istud epithetum, sed alia (vt videre est) de causa. Neq; verò si epithetum *magnum* ad *Alciden* retulit (vt cum hoc nomine non cum altero apud Gellium iungi videmus, & vt iungendum censuisse Alexandrũ scribit Sabinus) fuit cur illud carperet. Fortasse igitur memoria lapsus Sabinus Higino reprehensionem adscribit quæ alîus cuiuspiã est. Quocunque autem modo se res habeat, necesse est apud eum post hæc verba, *sedet æternúmque sedebit,* addi ista, *Infelix Theseus.* nam eundem & magnũ & infelicem vocare, minimè consentaneum rationi videtur. Fuisse porro controuersiam de hoc epitheto *magnum*, vtri addendum nomini esset, ex ipso etiam Seruio discimus. Nam, *magnum Quid memorem Alciden,* melius distingui scribit: licet quidam legant, *Thesea magnum*, vt epithetum ei dent qui per se non est magnus. nam Herculem & sine epitheto magnum intelligi. *Sed melius est* (inquit) *magnum dare Herculi quàm sacrilego.*

Ex his quoque apparet quàm periculosum sit ei qui critici (qualem esse debere ostendi) nomine dignus non sit, criticum velle agere: & quàm multis interdum reprehensionibus reprehensiones κριτικοῦ alicuius ἀκρίτως iudicantis possint esse obnoxiæ.

SED vt ab his locis, in quibus Gellius indefensum Virgilium aduersus Higinum relinquit, ad alium veniam

niam in quo se defensorem eius constituit, & de quo verba me facturũ promisi, audiamus quæ libri quinti capite octauo scribit. Id caput ab hisce duobus versibus initium habet,

Ipse Quirinali lituo paruáque sedebat
Succinctus trabea, læuáque ancile gerebat.

Quibus hæc subiungit, In his versibus errasse Virgilium Higinus scripsit, tanquam non animaduerterit deesse aliquid hisce verbis, *Ipse Quirinali lituo.* Nam si nihil (inquit) deesse animaduertimus, videtur ita dictum vt fiat *lituo & trabea succinctus.* quod est (inquit) absurdissimum. Quippe quum lituus sit virga breuis, in parte qua robustior est, incurua, qua augures vtũtur, quónam modo *lituo succinctus* videri potest? Sed Gellius ipsummet Higinum parum animaduertisse ait, hoc ita esse dictum vt pleraque per defectionem dici solent. veluti quum dicitur, *Marcus Cicero, homo magna eloquentia:* & quasi, *Roscius, histrio summa venustate.* Non enim plenum hoc ac perfectum esse, sed tamen pro pleno atque perfecto audiri: sicut & istud eiusdẽ poetæ *Victorem Buten immani corpore.* id est, corpus immane habentem. Itémque alibi,

In medium geminos immani pondere cæstus Proijcit.

Ac similiter,

—domus sanie dapibúsque cruentis
Intus opaca, ingens.

Sic igitur hoc quoque videri dictum debere, *Picus quirinali lituo erat,* sicuti dicimus, *Statua grandi capite erat.* Nam *Est,* & *Erat,* & *Fuit,* plerunque abesse cum elegantia, sine detrimento sententiæ.

At ego & malè hîc accusari ab Higino Virgilium & malè à Gellio defendi aio. ita enim (meo qui-

dem iudicio) defendendus potius erat, vt diceretur potuisse ita loqui, *succinctus lituo & trabea*. quòd plerunque vnum participium aut verbum duobus nominibus iungatur: vni quidem, seruata proprietate: alteri autem, eam non item seruando, sed potius ἀκύρως. Neque tamen ignoro (sed potius miror) illum inter doctissimos doctissimũ Adrianum Turnebum scribere itidem, *Ipse Quirinali lituo* sibi videri ita dictũ vt dicimus Hominem præstanti sapientia, quum significare volumus eum qui præstantem sapientiam habeat: vt Quirinali lituo, sit Quirinalem lituum habens. Fatetur tamen, istud aliquanto insolentius minúsq; consuetũ esse: sed addit, à cõsuetudine nõ raro recedere poetas solere, & hoc ipso decus & ornamẽtum suo carmini quærere. At ego nõ solùm aliquanto insolentius, sed nimis insolens esse istud aio: & carere exemplo, addere etiam propemodum audeo. Contrà autem illius quod dixi, nimirum vnum participium aut verbum duobus nominibus iungi: vni quidem, ita vt retineatur proprietas, alteri autẽ, eam non item retinendo: illius inquam vsus siue participij siue verbi, exempla suppetunt plurima: quorum vt recordemur, reuocare in memoriã debemus quod à grammaticis zeugma appellatur.

Iam verò, ex iis quos Gell. affert in exemplũ locis, tertiũ præcedentibus similem esse, nequaquam concesserim. Nam in his, *Buten immani corpore*, & *Cæstus immani pondere*, ablatiuum audimus quem nec soluta oratio refugit: at, *Domus sanie dapibúsque cruentis*, nimium nouè insolentérque non illic solùm sed in carmine etiam diceretur, ab eo qui significare vellet domum quæ saniem & dapes cruentas haberet. Ac profectò, si aliud

si aliud ex hoc loco effugium non pateret, dicerem potius suspectam mihi esse eius lectionem, & scribẽdum videri, *domus sanie dapibúsque cruenta*: sed aliud se offert, quod minimè tam audax támque periculosum est. Hos enim ablatiuos referre possumus (meo quidẽ iudicio) ad nomen *opaca*, vt participij Opacata fungatur vice: & intelligamus, saniem ac dapes cruentas domum tenebrosam reddidisse. Quæ enim atra sunt, & eum in quo posita sunt locũ, atrum quodammodo videntur reddere. Saniem autem atri coloris esse, cùm aliunde scimus, tum verò ipsemet poeta statim pòst *sanguine atro* dicens, nõ aliud quàm quod saniem dixerat, intellexisse existimatur.

LOCVS autem hic me admonet vt de aliis etiam nonnullis verba faciam, quibus itidem peregrinam quandam (vt ita loquar) Latinitatem & criticorum reprehẽsionibus obnoxiam, subesse, dicamus necesse est, si quosdam grammaticos atque adeo nonnullos ex ipsis etiam enarratoribus sequi velimus. Quo in numero quãuis ponendæ sint multæ Nonij Marcelli expositiones (de quibus alius erit dicendi locus) ponendæ & quædam Tiberij Donati (quibus & aliquot Probi atque Asperi, necnon Vrbani, Carminij, & quorundam aliorum enarratorum, adijci possent) contentus ero tamen nonnullis earum quas apud ipsummet Seruium obseruaui, & quas nõdum à quoquam reprehensas cõperi. Apud ipsummet Seruium inquam, quem alioqui plerunque κριτικὴν quandam in alios enarratores exercere censuram videmus: ac minimè ἀκρίτως illam quidẽ interdum. Sed neminem & sæpius & iustius ab eo reprehensum fuisse puto quàm Tiberium Donatum: quippe qui alicubi non-

nulla repugnantia etiam quantitati syllabicæ in mediũ affert. Tale est quod de voce *littus* scribit, in istud hemistichium, libri Æn. 11, *-iacet ingens littore truncus*, hîc vocem *littus* significare locum ante aras, à litando dictum. Quam eius sententiam Seruius referens, meritò ratione carere tradit: quum à Litando necesse sit breuem esse syllabam li: ita vt stare versus non possit. Sic verò & in istum locum libri VIII,

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant, Donatum contra metrum sentire admonet, quum *citæ* exponit diuisæ. nam *citus*, quum diuisum significat, syllabã *ci* longam habere. Sed hæc tamen duo ἁμαρτήματα, siue duo ἀγνοήματα quantitatis syllabicæ, magis venia possint videri digna quàm alia quædam: ex quibus est, quòd pro *exilio* scribit *ex Ilio*, in isto versu, quem habet finis libri secundi,

Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.

Quomodo enim ignosci huic ignorationi queat, *Iliũ* primam syllabam productam habere? Digna est, aut etiam dignior quæ eodem in numero ponatur, quędam eius in hunc locum commentatio, quæ à Seruio refertur. Quum enim legamus libro III,

-vnà vndique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torua solum sub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar:
Et tandem læti soc. &c. ille (Donatus inquam) *latebat* ausus est *latè patebat* exponere. Aliquid noui iam attulerat, quum *terebramus* in *tenebramus* mutandum censuerat: sed hoc fortasse risum tantùm mouere debebat: at cui post risum non etiã bilem alterũ illud moueat? Atqui non legũtur hæc verba in typographicis

commen-

commentariorum Donati editionibus, nec in suo veteri codice ea inuenit Pierius. Quid tum? Sicut alia plurima quæ Donatus scripsit, in iis quæ extãt exemplaribus non leguntur, (vt taceam tam multas in tam multos locos ἐλλείψεις) ita, hoc non legi, minimè mirandum est: præsertim quum non absimile vero sit, aliquem, honori illius grammatici consulere volentem, ea verba detraxisse. Vtcunque certè se res habeat, nequaquam credibile est, Seruium tale quidquã ausurum fuisse fingere apud eos qui mendacij statim conuincere illum poterant. Adde quòd alia multa apud eum absurda faciunt vt hoc etiam, quantumuis absurdum, alienum ab eo videri non possit. Iam verò & hoc non parum ad fidem huius rei nobis faciẽdam valere debet, quòd in alium etiam eiusdẽ libri locum Seruius hanc expositionem ex Donato affert: in versum videlicet 535, cuius initium est *Ipse latet.*

Quæ quum ita sint, aliorum quæ vt à Donato indoctè dicta (etiamsi non adeo absurdè vt quæ modò cõmemoraui) ita à Seruio doctè & criticè reprehensa fuerunt, mentionem non faciam: nec eorum quæ in aliis enarratoribus, tanquam criticus & censor, reiicit: sed ad quasdam ipsiusmet commentationes (vt sum pollicitus) veniam, quæ & ipsæ peregrinam illam quam dixi Latinitatem inuehere videntur. Initium autem à loco sumã, de quo fortasse pauciores quàm de aliis mihi assentientes habebo. Is est hic, Æneid. libro x,

Ter conatus vtranque viam, ter maxima Iuno
Continuit, iuuenémque animi miserata repressit.

Hîc enim ille, *Animi miserata*, pro *Animo miserata*, inquit. *Nam figuratè loquutus est, sicut, O præstans animi, pro,*

animo: & *Illius rei, pro, Illa re.* At ego Virgiliũ *animi* quidem ſcripſiſſe, ſed hoc genitiuo ablatiui loco vſum non eſſe dico. non enim *animi* cum *miſerata* iunxiſſe, ſed *animi* cum ellipſi Græca dixiſſe, per quam ſubaudiendum ἕνεκα relinquitur. Atque adeo Latinitatem hoc poſſe tolerare nego, vt dicatur, Miſerari aliquem animi, vel mentis, ad ſignificandũ, Miſerari aliquẽ animo, vel mente: ſiue, in animo, aut in mente. Vt omittam, fore pleonaſticam illam genitiui *animi* adiectionem, ſi ita intelligatur. Contrà autem, ſi iuuenem propter ſuum animum miſerata eſſe dicatur, optimè id cum paulo antè præcedente verſu conueniet,

Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.

Quod enim ſubiungitur, *iuuenémque animi miſerata,* perinde erit acſi ſcriberet, Miſerata iuuenẽ tantarum animi fluctuationum cauſa.

Neque verò Aruſiani Meſſi adeo me mouet autoritas vt cum eo aliter de hoc loco ſentire poſſim. Scio enim illum in exemplis Virgilianarum eloquutionum, hoc inter alia proponere. Sed non ſatis magno iudicio quaſdam Virgilio adiudicaſſe, vel ille oſtendit locus in quo *furens animi* potius quàm *furens animis* recipit, libro v,

Nanque furens animi dum proram ad ſaxa ſuburget.

Contrà enim ſequenda eſſe hîc ea exemplaria quæ *animis* nobis exhibent, cõuincit alter iſte poetæ eiuſdem verſus,

Ecce, furens animis aderat Tirynthius.

nullo enim modo hîc *animi* admittere poteſt numerorum poeticorum lex, vt ſatis eſt manifeſtum vnicuique. Neque tamen ignoro, illum quoque in quẽ nunc inquiro longè doctiſſimum grammaticum,

itidem

itidem *furens animi* in illo altero verſu legere: ſed quod Aruſiano Meſſo, idem & illi oppono. Quinetiã eum hîc idem quod & aliis pleriſque locis peccare dico, dum vnum eundémque locum in aliorum multorũ exemplum affert, tanquam ſimilium, quum tamen ſint diſſimiles. id eſt, non idem de his quod de illo dici poſſit. Ecce enim, *Furens animi, figuratè* (inquit) *dixit: vt Præſtans animi iuuenis.* Sic etiam illic, *Animi miſerata*, pro *Animo miſerata* dictum eſſe ait: & figuratè loquutum, ſicut *O præſtans animi*, pro, animo. Iam verò & in hunc verſum, libri Georg. IIII, *Immemor heu victúſque animi reſpexit*, annotat, ſic hoc loco dixiſſe, vt *O præſtans animi.* At ego locum iſtum in aliorum omnium exemplum afferri poſſe nego: ac potius ita eſſe ſtatuendum aio, eſſe hîc illam quam dixi Græcam ellipſin, itidémque vbi *Felix* vel *Infelix* eidem illi genitiuo iungitur: (veluti quum Dido dicitur *infelix animi*) eodémque modo vbi *animi miſerata* legimus, ſi quidem mea illa expoſitio admittitur: pro qua & illud *infelix animi* facere dici poteſt. conſentanea enim ſunt, exiſtimare aliquem eſſe infelicem animi, & eum miſerari animi. At verò, quum audimus *victus animi*, Græci quidem ſermonis eſſe pariter imitationem dixerim, ſed qua tamẽ aliud in eo imitemur. Quid verò illud eſt? is nimirum genitiuus quem verbo νικᾶσθαι vel potius ἡττᾶσθαι, iungere illi conſueuerunt: vt quum ὀργῆς ἡττᾶσθαι (ſicut & ἥττονα εἶναι) dicunt: & ἔρωτος ἡττᾶσθαι, vel ἱμέρου. quo vocabulo non malè fortaſſe hîc illud *animi* interpretabimur: vt perinde ſit acſi diceret, Quum non poſſet cupiditati ſuæ moderari. Neque tamen contendo, de omnibus locis vbi poetæ vtuntur genitiuo *animi* vice ablatiui (veluti vbi *præceps ani-*

mi ab hoc ipſo poeta dicitur) vel hoc vel illud reſponderi poſſe: ſed aliquid aliud ſequutos eſſe in eorum vſu fateor: qui quomodo Seruium de eo quod notaui excuſare poſſit non video. Hoc vnum addam, in dubium à me vocari quod ab eodem grammatico ſcribitur in illum locũ, *O præſtans animi iuuenis*, & Præſtans virium, & Præſtans viribus dici. quiddam enim ſibi in vſu huius genitiui, quod non & in aliorum, permiſiſſe poetas exiſtimo.

In hac autem genitiui mentione, in memoriã mihi venit quod apud eundem grammaticum de participij Peroſus cum illa conſtructione legitur, ſed à paucis (vt opinor) admittitur. Nam hæc in verba, libri VI, *-lucémque peroſi Proiecere animas*, annotat, figuratè dictũ eſſe *lucem peroſi*: quum *Peroſus illius* dicatur. Atqui ſi figuratè *lucem peroſi* dixit, figuratum eſſe apud eum dicemus & *Exoſus Troianos*, necnõ *Exoſum bella*. Ex eo certè quod de illa participij Peroſus conſtructione ſcribit, colligere poſſumus fuiſſe quoſdã ex recẽtioribus ſcriptoribus qui eandẽ huic participio quã & τῷ Pertæſus conſtructionẽ darent: atque hoc Seruio impoſuiſſe. Nam & alibi animaduerti illum quædam ad ſermonem Latinum pertinentia pro nouis habere, quòd à ſui ſeculi hominibus aliter dicerentur. Legimus certè *Peroſus* cum eadẽ conſtructione apud Naſonem quoque, vbi *Exilium longum peroſus* dicit, & *Arma peroſus*: necnon apud Lucanum. Sed & in ſoluta oratione apud Liuiũ & alios accuſatiuũ illi dari videmus. Atq; adeo ipſe Virgilius alibi quoque hunc illi dat caſum, vbi canit, *-penitus modo non genus omne peroſus Fœmineum*. Verùm & ibi idem enarrator admonet itidem, eum eſſe loquutũ figuratè: nihil addẽs. Sed ex iis quæ in alterum illum annotat locum, diſcimus figu-

ratum sermonem ideo esse dixisse quòd talis cõstructio illi participio data esset.

SED alij sunt loci in quibus idẽ grammaticus dum Latinitatem Virgilij suo modo examinat, &, timens ne Virgilius de abusu alicuius vocabuli possit accusari, remedium huic periculo quęrit, ipsemet accusandi sui amplam materiam præbet. Tale est quod in hunc libri II locum legimus,

Sanguine placastis ventos & virgine cæsa,
Quum primùm Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus.

Scribit enim, *Quum primùm*, hîc distinguendũ est: quia & semel ad Troiam ventũ est, & antequam ad eam veniretur, de Iphigenia est sacrificatũ. Hæc ille: quasi verò, quum dicitur *Quum primùm* (vel potius *Quumprimum* coniunctè) *hoc factum fuit*, ad secundã vicem respiciatur qua idem factũ fuerit, (perinde acsi *quum primò* diceretur) & ita inter vnam & alterã vicem discrimen statuatur. Interim verò nõ facilè intelligi potest quale sit quod huic malo aut saltem periculo (vti dixi) remediũ inuenisse sibi videtur. In multis certè locis ad idem remediũ confugit, ad nouam inquã distinctionem: & quidẽ in nonnullis nimiũ subtiliter & cõtra ipsius poetæ mentẽ ab eo excogitari videtur. Sed multo tamen magis in cõminiscendis nouis quorũdam locorum distinctionibus peccat Tiberius Donatus.

Ex duabus lectionibus interdũ vnã esse ostẽdit quã sine periculo sequi nõ possimus. vt in hunc locũ libri III, *saniéq; expersa natarẽt Limna*, hãc fuisse verã lectionem scribit. si enim *aspersa* legerimus, futurum esse vt tapinosis & hyperbole iungantur. Et Pierius tamen hoc non illud vocabulum in omnibus quos viderit antiquis codicibus fuisse affirmat.

Quinetiam maius periculum vnius ex duabus lectionibus esse ostendit, in istum locum libri v,

Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro,
Pars leues humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Nam hîc, allatis hisce vetbis, *it pectore summo*, addit, *Sic legendum est: ne sit solœcismus*. Ex quibus verbis apparet & aliam fuisse lectionem, quæcunque ea fuerit. Ad hanc enim quod attinet,

—& pectore summo
Flexilis obtorti per collum it circulus auri,

nihilo magis vllum solœcismum quàm alteram illam habere constat.

Est verò & critica audacia alicubi aduersus ipsum vsus, partim sermonem, partim in res ipsas reprehendendo. Nonnulla enim notat, quæ eum abusiuè dixisse scribit, siue vsurpatiuè, aut καταχρηστικῶς. Atque adeo alicubi contrarium dedisse vsum quibusdam vocabulis ait: vt in hoc Æneidos libri xii loco, *aut corpora saltu Subÿciunt in equos*, postquam *Subÿciunt in equos* exposuit Super equos iaciunt, addit, *Sed propriè non est loquutus: magísque contrarié. nam Subÿcere est aliquid Subter iacere.* Alia autem ratione dicit de verbo *Prænatare*, esse contrariè dictũ, in isto versu, *Lethæúmque, domos placidas qui prænatat, amnem.* Exponit enim *præterfluit*: & addit, *Contrariè dictum est. nam non natant aquæ, sed nos in ipsis natamus.* Enniũ igitur (inquit) sequutus est: qui ait, *—fluctúsque natantes.*

Affectatè eũ loqui, scribit etiam alicubi, vt in hunc locum libri ix,

Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri.

Nam

Nam hîc annotat eum affectatè loquutum esse. debuisse enim dicere Affixit aut facem, aut malleolum, non flammam.

Nouè item eum loqui, alicubi dicentem audimus. Veluti vbi apud Virgiliū legimus de naui, *excussa magistro*, cū nouè ita loquutū esse de naui scribit, de qua fuerat magister excussus. Sic in hoc versu, *Quid puer Ascanius? superátne, & vescitur aura?* postquam *superat* exposuit Viuit, adiicit, *Sanè nouè dictum, & caret exemplo, vt pauca in Virgilio.*

Vt autem maior, ita rarior apud eum est altera reprehensio, id est, alterum reprehensionis genus: id inquam quo non sermo reprehenditur, sed aliquid in re ipsa quæ tractatur: quum alioqui soleat contrà aduersus reprehensores eū hac quoq; in parte (& quidem magis etiā quàm in altera) defendere: vt in multis quos ex eo attuli locis videre est. Sed interdum sui, id est suarum partium, (quū defensoris partes suscepisse dici queat) obliuisci videtur. Ecce enim, quum in versum 188 libri Æneidos vndecimi in quo *fulgentibus armis* legimus (*Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos*) annotet, *Frustra hoc epitheton notant critici, quasi circumeuntes rogos alia arma habere debuerint:* tamen contrà eum non patrocinio destituit ab alio accusatum, sed ipsemet accusat, eadem omnino de re, & quidem in loco qui non solùm eodem in libro habetur, sed præcedenti valde est vicinus. Vbi enim legimus,

Iam verò in tectis prædiuitis vrbe Latini
Præcipuus fragor, & longè pars maxima luctus,

hæc scribit de epitheto *prædiuitis*, dignissima quæ attentè considerentur, *More Græco epitheton incongruum*

huic loco posuit. Nam hoc de nostro poeta fateri, quid aliud quàm eum accusare est? Sed ita (dicet aliquis) accusatur, vt simul excusetur: quum id more Græcorum facere dicatur. Quid autem est illud, more Græco? annon more Homerico? aut saltem Græcorũ more, sumpto ab illis ex Homero? Nam quis non videt passim apud Homerum eadem epitheta, etiam in iis locis quorum argumentum est eiusmodi vt ab illis omnino abhorrere dici possint? Neque enim pro loco & pro re de qua agitur, epitheta personis tribuit, sed eadem vbique illis dat, etiamsi laus quam illa inclusam habent, à re quam describit planè sit aliena. Huius autem rei exempla in sequentibus afferam: simúlque tantum abesse vt Virgilius idem circa epithetorum vsum peccet, vt contrà nulla de re magis quàm de illis aptè collocandis solicitus fuisse videatur.

Sed & quáuis multa pro Virgilij defensione alicubi afferat Seruius aduersus criticas quorundam reprehensiones eorum quæ præter decorum ab illo dici videntur, aut præter id quod rationi est consentaneum, ipsemet tamen & hac in parte nonnunquam eius est accusator. Loquor autem de talibus reprehēsionibus quales sunt hæ quas ex aliis affert, in hunc libri decimi locum,

At Iouis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrósque inuadit ouantes.

In hos enim versus quærit, quum nouerimus sacrilegum esse Mezentium, Iouem etiam adhortatum esse alios deos vt à bello desisterent, & dixisse, *rex Iuppiter omnibus idem:* quomodo procedat, *At Iouis interea monitis Mez.* &c. ac respondet, primò, Iouem iustitiæ fauere, non partibus. quod si est, (inquit) iure Mezentium

tium in locum Turni facit venire: vt iustum prẹlium inueniatur, nec vna sit pars à ducibus destituta. Deinde alij obiectioni occurrens, *Quod autem* (inquit) *dicitur, Sacrilegum Iupiter admonere non debuit: non admonet vt vincat, sed vt poßit perire.* Denique & ad tertiã obiectionem veniens, *Illud etiam* (inquit) *frustra quæritur, quemadmodum numini sacrilegus obtemperare potuerit: quum Mezentium non apertè Iupiter moneat, sed ei inijciat tale desiderium.* Sic etiam in hos de Turno & Tiberi versus, qui nonum librum claudunt,

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluuium dedit: ille suo cum gurgite flauo
Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis,
Et lætum socijs abluta cæde remisit:

in hos inquam versus reprehensionem quãdam criticam aut saltem quæstionem proponit, sed eam simul soluit. *Sanè quærunt multi* (inquit) *quum Tiberis Æneæ faueat, cur liberauerit Turnum. Sed soluitur ista ratione. nam ob hoc Turnum dicit esse liberatum vt maior Æneæ gloria seruaretur.* Sed quum ei aduersus istas & alias quasdam huiusmodi obiectiones patrocinetur, alicubi contrà talia quædam illi obijcit. Quinetiam hunc locum libri XI,

Velocem interea superis in sedibus Opim,
Vnam ex virginibus socijs sacráque caterua,
Compellabat, & has tristes Lauinia voces
Ore dabat,

ita accusat idem enarrator, vt dicat, licet particula Interea negotia semper præteritis futura coniungat, tamen abruptum esse & vituperabilem transitũ. Quinetiam addit, habere tales transitus & in superioribus libris, & in sequenti præcipuè, vbi Iuppiter appellat

Iunonem. Sed alibi tamen ex persona Asinij Pollionis alios transitus laudat, quibus eadem illa particula Interea est adhibita. Nam in hunc locum libri XI,

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores:
Iam pater AEneas, iam curuo in littore Tarchon
Constituêre pyras:

hanc Asinij Pollionis obseruationem, quæ nobis obseruatu dignissima est, affert. *Asinius Pollio* (inquit) *dicit vbique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum præsentibus rebus. vt hoc loco, quia funerum & sepulturarum res agitur, dixit Extulerat. Item in quarto, quia est nauigaturus AEneas, & relicturus Didonem, dicit, Tithoni croceum linquens aurora cubile. quod licet superfluum sit, in multis tamen locis inuenitur.* Verùm in aliis editionibus post verbum *Extulerat*, hæc leguntur, *Nam & Efferre est ad sepulturam ferre. Terentius, Effertur, imus.* Sed (quod cum bona Asinij Pollionis venia dictum sit) huic obseruationi eius repugnant alij loci, aut saltem alius locus, vbi eadem voce eodem vtitur modo Virgilius, quum tamen non itidem funerum & sepulturarum res agatur.

Ab Asinio autem Pollione ad Seruium vt reuertar, hunc rarò ita criticũ agere aduersus poetam suum comperiemus, in iis præsertim quæ ad artificium & œconomiam pertinẽt: quinetiam ab Homerica discedere illum nos alicubi admonet, & cur id faciat rationem reddit. Nam in hos de Tolumnio augure versus, lib. XII,

Dixit, & aduersos telum contorsit in hostes,
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat:

in hos

in hos inquam versus annotat, eum hîc ab Homeri œconomia recessisse. Illum enim inducere Mineruã persuadentem Pandaro vt iacto in Menelaum telo fœdera dissipet: hîc verò dicere, ipsum augurẽ telum spõte torsisse, & occidisse vnum de nouem fratribus. Atque hoc pertinere ad œconomiam. Fuisse enim necesse vt fratres ex vnius morte commoti bellum mouerent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat eius mors ob fœderis religionẽ fortè contemni. Quin-etiam alicubi eius inuentionem seu eius artificium οἰκονομητικὸν Homerico non dubitat anteferre. Sic in calce libri I X, vbi legimus,

-aëriam cœlo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

hoc ab illo ferri de loco isto iudicium videmus, *Melius quàm Homerus hunc locum exequutus est. Saluo enim sensu vitauit & fabulosa & vilia. nam ille ipsas minas exequitur.*

Sed Macrobium contrà longè Virgilium Homero postponere in quibusdam ad œconomiam pertinentibus videmus. Scribit enim (vt antea docui) hinc maximè liquere quid Virgilio contulerit Homerus, quòd vbi rerum necessitas exegit à Marone dispositionem inchoandi belli, quam non habuit Homerus (quippe qui Achillis iram exordium sibi fecerit, quæ decimo demum belli anno cõtigit) laborauit ad rei nouæ partum. Ceruum enim fortuitò saucium fecisse causam tumultus. Sed vbi vidit hoc leue nimísque puerile, dolorem auxisse agrestium, vt impetus eorum sufficeret ad bellum. Cuius reprehensionis mentionem quidem & antea feci, sed non & eorum quæ Pontanus ad illam respondet. ea igitur hic

referam. Is certè nullam contrà belli inter Troianos Latinósque accommodatiorem excogitari potuisse causam dicit: quum nec Latini per id tempus mercaturam nauibus exercerent, nec Æneas piraticam, ita vt per causam prædocinij (hac enim voce vtitur) excitari bellum posset: & quum nullæ antecederent inimicitiæ, atque adeo Æneas eo consilio in Latinum littus descensionem fecisset vt in terra fato debita sedes profugis statueret. Itaque non belli, sed amicitiæ potius causas quæsiuisse, vt qui conciliare sibi finitimorum animos studeret, missis etiã oratoribus cum muneribus. Quibus subiungit, *Vidit acutissimus autor fortuitam causam, quam lippus cæcutiénsque grammaticus quomodo videret?* Atque his adiicit, moris esse clarissimorũ militum, non tantùm piratarum, sæpius in cõtinentem descendere, carnis (vt ipsi loquuntur) faciendæ gratia: nec solùm ex hostico, sed, vbi maior cogit inopia, etiam ex pacato pecora abigere: atque hinc fieri vt inter socios amicósque indignè multa committantur. Hanc occasionem, & quidẽ fortuitam, quum Æneas nihil minus quàm bellum quæreret, nactus Virgilius, non armẽtalem aut aratorium bouem, sed regij villici ceruum atque in deliciis habitũ, & agrestibus notũ, vulnerat: quo facilius multitudo cogniti cicuris gratia ad tumultũ concurreret: Troianósque, non tantùm vt abactores, sed qui regias res violare ausi essent, armis vlcisceretur, atque è finibus pelleret. Et, quibusdam interiectis, *Quid aliud?* (inquit) *tanquam duos è diuerso mundi cardine spiritus, qui accensum ignem excitent, exuscitat. alteram è cœlo delapsam deam, Iunonem scilicet: alteram, furiarum maximam, erebo excitam, cogentem buccina populos, & duces vocantem in bella. Próque stipula*

subii-

subijcitur armata mulier, mater, regina: importuna quidem mulier, &c. Tandémque locum hunc istis verbis claudit, *Cognouit admirabilissimam excogitatissimámque inuentionem Iuuenalis, quum dixit,*

-caderent omnes à crinibus hydri,
Surda nihil gereret graue buccina.

At ego hîc inter accusatorem Macrobium & defensorem Pontanum me neutrum quodammodo seruans, neque ineptam esse hanc Virgilij inuentionem dixerim, neque aliam tamen ea aptiorem & poematis Virgiliani maiestati cõuenientiorem excogitari potuisse negauerim.

SED, vt à Macrobio ad Seruium, & à vitiis quæ in ipsis rebus sunt ad ea quæ in sermone versantur, reuertar, à me certè paulo antè in mentione reprehensionis epithetorum omittendum non fuit quod vt vitiosum ab eodem carpitur, quum vitio tamen careat apud poetas Græcos: duo videlicet epitheta vni substantiuo iungere. Nam hunc in locum libri Georg. IIII,

At liquidi fontes & stagna virentia musco
Adsint, & tenuis fugiens per gramina riuus,

admonet suspendendum esse *tenuis*, ne incipiant esse duo epitheta: quod apud Latinos constat esse vitiosum. Quinetiam hunc in versum,

Lenta quibus torno facili superaddita vitis,

scribit, Donatum *facilis* legere: sed legi tamen & *torno facili*: ad excludenda duo epitheta: quod est in Latinitate vitiosum, si sit *lenta facilis vitis.* Vbi certè non minus in Seruio, quàm in Donato iudicium requiro, quòd de re minimè dubia dubitarint, vtram nimirum sequi potius lectionẽ oporteret. Nam etiamsi

duo epitheta ſimul habere locum poſſent, quis non videt aptius multo *facili* iungi *torno*, quàm *facilis vitis* dici? Ego certè, ſi ab illa lectione, *torno facili*, diſcedendum eſſet, id potius Romanum exemplar ſequerer in quo *fragilis* legi Pierius teſtatur: etiamſi id vnicum eſſe dicat in quo hæc ſcriptura extet, quum cætera omnia *torno facili* habeant. Quamuis autē hæc ita ſint, tamen in hunc verſum libri tertij Æneidos, *-& lenis crepitans vocat auſter in altum*, ſcribit, duo illum epitheta vitioſè poſuiſſe. quinetiam addit, *Fecit autem hoc impropriè propè in decem verſibus*. vel (vt in aliis editionibus legitur) *Fecit autem hoc propè in decem verſibus*. vel *propemodū*, abſque illo aduerbio impropriè. Sed huic reprehenſioni (ad hūc quidem certè verſum quod attinet) opponi duo poſſunt: primùm quidem, non videri habendum pro epitheto participium *crepitans*, quum perinde accipi queat acſi dictum eſſet, Lenis auſter vocat crepitando, vel ſuo crepitu: deinde verò, aliam inueniri lectionem, *lene*. neminem autem negare poſſe quin & poeticè & elegāter dicatur auſter lene crepitans: id eſt leniter. Quinetiam quum hic verſus qui legitur non procul à fine libri vltimi,

-infelix humero quum apparuit ingens Balteus,

duo itidem epitheta eôdem pertinentia habeat (malè enim in quibuſdam exempl. *infelix* cum præcedentibus eſt iunctum) alia etiam extat lectio, videlicet *alto* pro illo *ingens*. Sed non abſimile vero fuerit, hanc lectionem ab ijs inuectam qui bina epitheta vni dare nomini vitioſum exiſtimabant. In eodem libro, vbi legimus,

AEneas inſtat contrà, telúmque coruſcat
Ingens arboreum, & ſæuo ſic pectore fatur,

duo esse epitheta negat, *ingens* & *arboreum*: quasi intelligendum sit, Æneas ingens telum coruscat arboreũ. Verùm ab illo dissentio, quum hîc non aptè proceritatis Æneæ fieri mentio videatur, & ita, ad vitandum vnum vitiũ, in aliud maius incurri. Cæterùm & hoc in locis qui duo epitheta habent animaduertendum est, an vtrunque ex iis sit quæ perpetua seu propria vocantur, an contrà vnum quidem sit proprium, seu perpetuum: alterum verò, temporarium. Sic in hoc versu libri Æn. VII,

Iam media nigra carpebat nocte quietem,

sequendo nonnullos peruetustos codices, duo talia esse epitheta dicemus: *nigra*, proprium, seu perpetuum: at *media*, temporarium. Affertur & hæc scriptura,

Iam media nigram carpebat nocte quietem.

Sed meritò (meo quidem iudicio) tertia hæc aliis duabus præferetur,

Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.

Fortasse autem, vel ex his locis facere coniecturam licet, ex iis versibus huius poetæ qui epitheta habere bina dicuntur, quosdam esse de quorum lectione dubitari possit.

Ad alteram verò epithetorum reprehensionem (cuius paulo antè memini) quod attinet, eandem habemus & in istum locum libri III,

Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Littora Achæmenides, comes infelicis Vlyssi.

in hæc enim duo verba, *infelicis Ulyssi*, annotat ille grammaticus, epitheton ad implendum versum esse positum, more Græco. Sed falsò hîc quoque Virgilium ab illo reprehendi, docebo vbi agam de hoc

more, quem Græcum vocat, & Homericum esse ostendam.

IDEM porro non in Virgilium tantùm, verùm & in alios poetas censorem alicubi agit, præsertímq; in iis quæ ad sermonem pertinent. Et quidem est quod & in Horatio, tãquam abusiuè dictum, notet, sicut quædam apud Virgilium ea de causa notari ab eo docui. Sed vnus est locus vbi tam abusiuè & improprié Horatiũ *viduus* dixisse scribit, quàm propriè Virgilium *viduasset*. Nam in ista Virgilij,

-tot ferro sæua dedisset

Funera, tam multis viduasset ciuibus vrbem,

annotat, propriè *viduasset* dixisse, quia vrbs est generis fœminini: at Horatium abusiuè & satis incõgruè in genere masculino posuisse, dicentem, *-viduus pharetra Risit Apollo.* Sed ratione omnino caret hæc reprehensio, quum non minus vir dicatur viduus, quàm vidua dicitur mulier: licet non tam frequẽter occurrat. Legimus certè cùm apud alios, tum verò apud Plautum, necnon apud Ouidium, libro De arte I,

Quum iuuit viduos rapta Sabina viros.

Sic autem & apud Græcos, sicut mulier, χήρα, ita vicissim vir dicitur χῆρος.

NEC verò nullæ aliorum enarratorum censuræ aduersus hunc poetam extant: sed earum nonnullæ & ab ipso Seruio reijciuntur. Quarum è numero est Donati quædam. nam in hunc locum libri XI,

-ô fama ingens, ingentior armis

Vir Troiane, quibus cœlo te laudibus æquem?

admonet nos, frustra dici à Donato, hoc nomen *ingens* de iis esse quæ non recipiunt comparationem: quia enim augmentum recipit, etiam comparari. Et addit,

addit, alia esse illa nomina in quibus est dubitatio vtrum comparentur. vt est Perfectus (inquit) quod si velis comparare, incipit perfectus non esse perfectus. Sed quod pro confesso accipit Seruius, videlicet Ingens recipere augmẽtum, illi Donatus confiteri noluisset. Considerare tamen Donatus debuit, esse & alia, quæ quanuis natura sua incrementum admittere non videantur, cõparantur, sed raró. Ac tale est fortasse Immensum, ex quo Immensius. De illo quidem certè vocabulo Perfectus quod scribit Seruius, quãuis ratione niti dici queat, vsum nihilominus & istã admisisse comparationem videmus, & quidem in soluta etiam oratione. Quanto autem magis in carmine nomina quædam, contra naturã suam, id est contra significationis suæ naturam, licebit comparare? quod etiam considerare Donatum oportuit. Cæterùm hanc Virgilij à Donato reprehensionem non extare sciendum est inter ea quæ in hunc locum est commentatus: ea quidem quæ ad nos peruenerunt, aut saltem quæ typographicæ editiones nobis exhibuerunt.

Sicvt autem censorum seu criticorum officio apud Virgilium alij etiam enarratores functi sunt, ita & apud Horatium à longè doctissimo enarratore Porphyrione factum id fuisse animaduerti. Sed modestè se hac in re solet gerere. veluti quum hunc in locum,

Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert,

annotat, *Cupidinem hic non puto pro amore posuisse, sed pro cupiditate. Quare miror masculino eum genere cupidinẽ dixisse, quũ hac significatione Hæc cupiditas* (sed *Hæc cupido* scribo)



dicatur. Nam quum hîc dicit ſe mirari eum ita voce illa vſum eſſe, modeſtè taxare eum videtur. Verùm hoc ipſe miror, eum affirmare auſum non eſſe, Cupidinē hîc non pro amore, ſed pro cupiditate ab Horatio poſitum eſſe. nam vel adiectio epitheti *ſordidus* id teſtari dici poteſt. Quam adiectionem excuſare etiam Horatium, non immeritò fortaſſe dixerimus, quum ea ambiguitas tollatur. Quomodo enim *ſordidus* Cupidini amorem ſignificanti adiungeretur? Contrà verò, vt Sordes de auaritia, & ea quidem præſertim quæ eſt ſumma, dici ſolent, ita & cupiditatem auarorum ſeu ipſam auaritiam vocari ſordidā, rationi conſentaneum eſt. Cæterùm non hîc tantùm ſed aliis etiam locis maſculinum genus huic vocabulo in ea ſignificatione dedit: monēte & Acrone nouum hunc vſum eſſe: quam tamen nouitatem imitatus eſt Seneca. Sunt verò qui ita excuſant vt dicant, in illis etiam locis Cupidinem eſſe dei nomen: quòd Cupido ſit autor amoris & deſiderij ac cupiditatis quarumuis rerum, generaliter.

Atque vt apud Virgilium alicubi Seruius quę ambiguè dicta ſunt notat (vt quum in hunc verſum libri XI, *Addit equos & tela, quibus ſpoliauerat hoſtem*, ſcribit, *Vel Pallas, vel AEneas. nam ambiguè poſitum eſt*) etiam eſt hoc vnum ex iis quæ à Porphyrione apud Horatium notantur: & quidem ita vt diligenter in ea inquirere dici poſſit, apud eum fortaſſe frequentius quàm apud alium occurrentia. Sic hunc in locum,

Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuuentus,

admonet, non intelligi ab illo *pugnas parentum*, ſed *vitio parentum*. Debuit tamē (vt opinor) & de hoc admonere,

nere, istud, *rara iuuentus*, ad illud *vitio parentum* referri: perinde acsi dictum esset, Iuuentus, quæ vitio parentum rara erit. id est, rara ex illis pugnis supererit.

Talem admonitionem habemus & vbi scribitur ab Horatio, (libri videlicet primi ode trigesima quinta)

—ô vtinam noua
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabásque ferrum.

Esse enim ἀμφίβολον ait: sed non intelligi debere, *retusum in Maßagetas*, verùm, *diffingas in Maßagetas*. vel *diffindas*, vt quoddam vetus exemplar vtrobique habet.

In hunc quoque locum satyræ primæ libri secundi,

Ceruius iratus leges minitatur, & vrnam,
Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum,

annotat, amphibolicè posuisse, aut Canidia Albuti venenum minitatur, aut, Albuti venenū. hunc enim Albutium veneno vxorem suam dici peremisse. Sed malè in quibusdam typographicis editionibus scriptum est ita, *Aut Canidia Albuti venenum minitatur, aut Albutius venenum:* quum scribendum sit, *aut Albuti venenum*. Verùm potest defendi aduersus Porphyrionē, quòd quum ita genitiuus proprij nominis ponitur nomini proprio proximus, de filio aut filia soleat intelligi: vt, *Deiphobe Glauci*. Quod exemplū & ab Acrone seu Pseudacrone affertur: sed apud eundem sequitur, *Alij vxorē dicunt*. post quæ verba videtur esse quorundam aliorum ellipsis. Alioqui dicemus, his verbis significari, alios existimare, Canidiam, vxorem Albuti, non filiā, ab Horatio vocari. Cæterùm hîc quoque in vet. Porphyr. exempl. legitur, *amphibolicè*, quum

in iisdem illis edit. typographicis, quæ habent *Albutius*, legatur ἀμφιβολογικῶς: cui vocabulo locum in Græca lingua dare non possumus, si τῷ ἀμφιβολογία locus non est: de quo & mox dicam.

In istum autem locum, odes XIIII, libri I,

-non tibi sunt integra lintea,

Non dij, quos iterum pressa voces malo,

quum editiones typographicæ nobis hæc tantùm exhibeant Porphyrionis verba, *Quos iterum pressa voces malo, Amphibologia:* in vet. exẽpl. post illa Horatij verba, *Quos it. pr. voces malo*, legimus, *Non, iterum pressa: sed, iterum voces, malo pressa. Amphibolia.*

Verùm sunt & loci in quibus illam dubitationem amphibolicam (vt ita dicam) proponit quidẽ, sed non & soluit. vt Serm. lib. II, Satyra IIII,

Vinea summittit capreas non semper edules. Postquam enim capreas pro hœdis poni dixit, addit, *Et est* ἀμφιβολογία. *aut, non semper summittit: aut, non semper edules.* Verùm quemadmodum docui modò, non ἀμφιβολογικῶς sed *amphibolicè* in vet. exempl. scriptum esse, ita hic nõ ἀμφιβολογία sed ἀμφιβολία ibi legitur: quod, meum de his duabus vocibus iudicium confirmat, cuius mentionem in libello De Græcæ linguæ abusu feci. Cæterùm videndum est annon excusari possit hoc loco Horatius aduersus Porphyrionem, tanquam ita loquutus vt dubitationem illam minimè reliquerit: quoniam si cum verbo *summittit* nomen illud *edules* iungere libuisset, in promptu erat dicere,

Vinea non semper capreas summittit edules.

Talem porro de amphibolico Horatij dicto dubitationem proponit Porphyrio & hic, (ode XXVI libri III)

-dulce

-dulce periculum est
O Lenæe sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

Amphibolicè dictum (inquit) *vtrum sibi tantùm cingentem, an quoscunque suo nomine* (sed *numine* scribo) *replere consueuit.* Melius etiam scriberetur, *an omnibus quoscunque suo num.*

Idem facit & hîc,(ode XIII, libri III) *-non sine floribus Cras donaberis hœdo.* ἀμφίβολον enim esse hîc quoque ait: quum incertum sit vtrum dicat, Hœdo donaberis & floribus: an, Donaberis hœdo, qui erit cum floribus. id est coronatus.

Est verò & amphibolia, quam vocat amphiboliã per casus. Vt in hunc locum odes XIIII, libri I, *Quãuis Pontica pinus, Syluæ filia nobilis, Iactes & genus & nomẽ inutile.* Scribit enim, *Syluæ filia nobilis,* an, *tu nobilis,* amphibolia per casus. Ita certè vocari possit & quæ huic loco subest, *Nec cursus duplicis per mare Vlyssei.* nã siue pro genitiuo qui iungatur cum *Vlyssei,* siue pro accusatiuo, quem iungamus cum *cursus,* legisse videtur *duplicis.*

Quum porro in his omnibus & quibusdam aliis locis ἀμφίβολον tantùm dicat,(quum alioqui sint etiam loci quos duobus modis posse intelligi ostendit, & vtro debeamus eos intelligere docet, quamuis neque vocem ἀμφίβολον, neque ambiguum, neque quidquã tale præfigat) alicubi & *nimis* ἀμφίβολον dicit. quod est apertius reprehendentis, aut certè magis. Exemplum autem habemus in istum locum odes VIII, libri II, *-ferus & Cupido Semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta.* Nam scribit, *Nimium* ἀμφίβολον. *vtrum enim Semper ardentes intelligendum, an Semper acuens?*

Iam verò & σόλοικον apud eum esse scribit, in versu isto, Serm. lib. II, satyra I,

Lucili ritu, nostrum melioris vtroque.

Nam in hæc verba, *Nostrum melioris vtroque*, annotat, *Mei & tui. σόλοικον est. dicendum erat, nobis.* Sed non immeritò quis miretur cur σόλοικον hîc esse putet. quidni enim *melioris vtroque nostrum*, rectè dicatur? Quòd si tamen emendatè scripta essent quæ pronomen illud *nobis* sequuntur, non miraremur quid eum mouisset vt hoc diceret. Nam illud *vtroque* non censuit iungẽdum cum *nostrum*, sed ita accepit acsi dictum esset Vtraque re. Hanc autem expositionẽ partim ex veteri exemplari colligo, in quo legitur, *Mei & tui. σόλοικον erit. Debebat enim dicere, Nobis & sensu* (sed *censu* scribendum) *& ingenio melioris*: partim ex Acrone, seu Pseudacrone, apud quem habemus, *Nostrum melioris vtroque. Hoc est, Qui melior fuit & me & te, Trebati, vita, sua.* id est, *censu & natalibus. Fuit enim valde nobilis Lucilius.* Leguntur autem eadem propemodum apud illum anonymum commentatorem, quem Iacobus Cruquius in lucem dedit. *Hoc est, Qui melior fuit & te & me, ô Trebati, censu & natalibus. Fuit enim vir bonus, & valde nobilis: vtpote Magni Pompeij auus.* At in typographicis editionibus locus ille Porphyrionis partim hoc scriptus est modo, *Nostrum mel. vtr. Mei & tui. Solœcon est. dicendum erat nobis. Aristo. sẽtẽtia est sensu & ingenio meliori.* Obiter autem lectorem hîc considerare iubebo, quàm periculosum sit aliqua verba vel ex eo loco in quo superuacanea sint, detrahere, lectore non admonito. Nam ita scribendo illic, *Dicendum erat nobis. Aristo. sententia est sensu & ingenio meliori*, sunt quidẽ superuacanea ista, *Aristo. sententia est*: verùm si ea tamẽ ex Porphyrionis

com-

commentario non tollas, sed lectorem moneas vt suum illis locum quærat, cum inueniet inter illa quæ proximè sequuntur, & vna eadémque opera duos locos restituet, ex vno verba illa detrahendo, in alterū eadem reponendo. Proximè enim hæc sequuntur apud Porphyrionem, *Ille velut fid. Ille enim in suis scriptis ostendit, Sapphonis & Alcæi volumina se loco sodalium habuisse.* Sed illis verbis, *Ille enim in suis lib.* præfigenda sunt ista, *Aristoxenis sententia est.* pro quibus vides alieno scriptum loco fuisse, *Aristo. sententia est.* Atque ita in hunc locum, *Ille velut fid.* à Porphyrione annotata habebimus ista, *Aristoxenis sententia est. ille enim in suis scriptis ost.* &c.

Verùm ad illam Porphyrionis reprehensionem vt redeam, tanquam Horatij sermone solœcum habente: fateor quidem σόλοικον hunc sermonem esse, *Nostrum melioris*, pro Nobis melioris: sed quid impedit quominus *melioris* cum *vtroque* potius iungamus, ad quod illud *nostrum* referatur? Quæ quamuis à me dicantur, animaduerto tamen quid Porphyrioni occasionem locum illum ita exponendi præbuerit. Sequitur enim non procul à fine huius satyræ,

-quidquid sum ego, quamuis
Infra Lucili censum ingeniúmque, tamen me
Cum magnis vixisse inuita fatebitur vsque
Inuidia.

Quinetiam non seruati decori Horatium accusare videri potest, quum in istos versus odes secundæ libri primi,

Piscium & summa genus hæsit vlmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis,

scribit, *Leuiter in re tam atroci & piscium & palumborum*

(ita enim apud eum, non autem *columborum*, scriptum est) *meminit*. Sed excusat tamen, istis quæ subiungit verbis, *Nisi quòd hi excessus lyricis concessi sunt.*

Cæterùm qui his in locis accusator Horatij est Porphyrio, in multis est eiusdem excusator. Sic in istum locũ odes XXXV, libri I, *Te Spes, & albo rara Fides colit Velata panno, Posset* (inquit) *videri sordidè dixisse panno; nisi vellet hac conceptione intelligi, à pauperibus magis coli fidem.* Vt autem aliud accusationis genus, ita & aliud excusationis, in epoden nonam. Nam vbi canit Horatius, *Romanus (eheu posteri negabitis) Emancipatus fœminæ, Fert vall.* &c. à Porphyrione scribitur, *Qui non intelligunt, putant importunum transitum repentè à Sex. Pompeio ad Antonium factum: nescientes redire poetam ad initium eclogæ, vbi ait, Victore lætus Cæsare. vbi de Antonio & Cleopatra victore vult accipi. Deinde comparatione lætitiæ præsentis, mentione facta Sex. Pompeij & fugæ eius, referens se, id quod cœperat, exequitur turpitudinem Antonij partiúmque eius.*

NEC Porphyrio tantùm, sed & Acro, seu Pseudacro, alicubi huiusmodi aduersus Horatium obiectionibus respondet. Quod fieri ab eo videmus in satyram quintam (siue eclogam) libri primi, in hos videlicet versus,

-nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicerri
Musa velim memores, & quo patre natus vterque
Contulerit lites.

Hic enim ab illis scribitur, quosdam reprehendere Horatium, quòd de rixa dicturus, stultè auxiliũ Musæ petiuerit. *Sed oratoriè* (inquit) *hoc fecit. Quando autem* (sed *Quando enim malo*) *de leui re dicturi sumus, attentum debemus*

facere auditorem, propter leuitatem rei. Sed bonam Horatij causam malè hic defendit, meo quidem iudicio: &, siue est Pseudacro, siue potius Acro, hoc saltē ψευδῶς dicere videtur, oratoriè ab Horatio id fieri: &, quum leui de re dicturi sumus, attentum debere nos auditorem facere, propter leuitatem rei. Cōtrà enim, quis hoc facit, nisi qui inter familiares vult iocari? Alioqui enim hoc esset auditores ludificari: & aduersus talem attentionis comparationem meritò obiiceretur ex ipso Horatio,

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Sed & hæc siue ab eodem, siue ab alio adijciuntur, *Vel etiam quia descripturus viam suam, non debuit prætermittere quod in ea iucundè factum videbatur, siue ludo narrat poetico.* nisi potius scribēdum, *sed ludo narrare poetico.* Quæ postrema verba ad Horatij defensionem satis esse poterant: vt illi obiectioni responderetur (si tamen tam frigida & inepta obiectio, digna cui responderetur, erat) hanc Musæ inuocationem ludum esse (aut iocum) poeticum.

Quædam alioqui sunt quæ ipse quoque apud húc suum poetam (id est, cuius se profitetur enarratorem) reprehendit: sed ita vt plerunque leues aut etiam futiles dicere possimus esse eas reprehensiones. Quod de iis dici potest locis in quibus abusiuè loquutum esse illum ait: vt quum scribit in hunc locum odes secundæ libri primi, *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hostem*, Maurum abusiuè pro quocunque hoste posuisse. Neque enim vocabulo abutitur qui id quod est speciei pro eo quod est generis ponit, vt híc fit ab Horatio. Hoc autem ab illo hîc fieri, etiam Porphyrio annotat, speciem videlicet pro genere poni. Sed

& ista multo accuratior exactiórque est expositio eiusdem, Maurum accipi pro cuiuslibet bellicosę gentis viro: quàm illa, Maurum pro quocunque hoste poni.

Sic etiam, quũ ἀκυρολογίαν constituat Acro vel Pseudacro in hoc dicto Horatij, *Olentis uxores mariti*, Porphyrio scribit venustè hoc dici. Atque id de isto Virgilij itidem loco pronuntiandum fuerit, *Vir gregis ipse caper*: necnon de isto, *Quem legêre ducem, & pecori dixere maritum*, quum alioqui constituenda hîc eadem ἀκυρολογία esset. Scimus autem à Theocrito hãc venustè loquendi libertatem profectam esse, qui τράγον dixerit τᾶν αἰγᾶν ἄνδρα. Reciproca autem (vt ita dicã) libertate vtens hic poeta, iuuẽcos pro iuuenibus dixit, libri secundi ode octaua, *Te suis matres metuunt iuuencis.* Vbi quum eadem ratione ἀκυρολογία esse dici posset, dixit tamen potius *metaphoram à tauris.* (sed *vitulis* reponendum) & locum qui eandem habet adiecit, *-nec tauri ruentis In Venerem tolerare pondus.* Hîc autem & *iuuencæ* de puella dicitur: sed audacem & huius & illius vocabuli vsum allegoria ibi velut tegit. Quemadmodum verò ἀκύρως & illic esse loquutum Horatium enarrator ille dixit, ita certè & de hoc dicturus versu fuit, *Adulteretur & columba miluio.* Vbi quanuis esse itidem ἀκυρολογίαν negari non possit, tamen & qui venustam seu iucundam metaphoram id vocarit, (est autẽ ἀνάλογος illi qua caprum, maritum, & vicissim capram, vxorem vocari dictum est) non solùm verum dixerit, sed honori poetæ magis consuluerit. Cæterùm eodem & Virgilius modo de Latinæ linguæ abusu accusatur, nonnullis in locis quibus ἀκυρολογία subesse dicitur: quum & iis aliam subesse figuram dicere possimus,

mus, cuius minus odiosum (vt ita dicam) sit nomen: quod certè dicere de metaphora possumus. Sed minus tamen odiosum est, ἀκύρως loquutum poetã dicere, quàm si lingua ea qua vti debet abusus esse dicatur. Sic tamen & Seruius in Virgilio multa tanquam abusiuè, siue vsurpatiuè (nam & hac voce vtitur) dicta notat. Interdum verò Græcè καταχρηστικῶς dicere mauult. Vsurpare etiam aliquot dicit locis pro Vsurpatiuè loqui, vbi mendum subesse putaret qui de hoc admonitus non esset. Sed alicubi Vsurpatiuè aut abusiuè loquutum esse dicens, adiungit quod hoc dictum velut molliat. addit enim, More poetico.

Sunt tamen & nonnulla quæ quum itidem inter abusiuè siue per abusum dicta alius posituras fuisset, Porphyrio ἀφελῶς dicta esse scribit. Ex his est istud, de quo antea dictum à me fuit, ex ode tertia libri primi, *-væ meum Feruens difficili bile tumet iecur.* Ibi enim scribit, *Iecur pro corde,* ἀφελῶς. Eodem modo & in hæc eiusdem poetæ verba, *-vbi Maura semper AEstuet vnda,* annotat, *Maura hic pro Africa ἀφελῶς dicitur: scilicet quòd tam Africa quàm Mauritania generaliter Libya dicitur.* Ita enim in vet. exempl. legitur, quum typographicæ editiones habeant non ἀφελῶς, sed ἁπλῶς. Hic autem locus reuocare nobis in memoriam debet eum de quo paulo antè disserui, *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hostem.* Neque enim video quid obstet quominus & ibi ἀφελῶς esse loquutum poetam dicamus. Cæterùm in illo priori loco vbi Iecur pro corde ἀφελῶς dictum esse annotatur, additur quidem expositio Latina, *id est simpliciter*: sed eam Porphyrionis esse vix crediderim: tum quòd nullam huiusmodi vocibus Græcis addere interpretationem solerent:

tum etiá quòd vel alio Latino vocabulo vsurus fuisse videtur Porphyrio, vel ei aliud saltem fuisse adiecturus. Hoc quidem certè constat, illud Simpliciter in vna significatione nõ minus alterius aduerbij ἁπλῶς interpretationem esse, quàm huius ἀφελῶς in altera. Ac nos in illius vocis mentione recordari oportet, ea quæ figuratè dicta sunt, illis opponi quæ simpliciter, apud scholiastas. Exempla multa apud Seruium, sed & quædam apud alios, ac nominatim apud Porphyrionem, habemus. Sic in istum locum satyræ VI, libri I, *-quò tibi Tulli Sumere depositum clauum, fieríque tribuno*, annotat, *figuratè per datiuum casum dixit ad pronomen tibi, tribuno: cæterùm illud simplicius erat, fieríque tribunum.* Vbi tamen potius erat dicendum (ac fortasse dixit) *simplex erat.* Intellige autem, figuratè dictum esse *tribuno*, respiciendo ad pronomen *tibi:* vel referendo ad pron. *tibi.* Ac fortasse horum vocabulorum alterum à librario omissum fuit. Sic porro & in oden sextam libri primi figuratæ eloquutioni simplicem opponit. At verò apud Seruium, ei quod figuratè dictum est videmus opponi etiá quod est integrum, quamuis non magis illic quàm hîc vlla sit ellipsis. Cæterùm alicubi idem Porphyrio aliquid non tantùm ait esse figuratè dictum, sed mira figura. nam in hunc locum odes XIIII, libri I, *-ac sine funibus Vix durare carinæ Possint imperiosius Æquor?* annotat, *Mira figura dicitur, pro Sustinere vim æquoris.* Istud autem *mira*, nó tanquam à reprehendente, sed potius tanquam à laudante quam sibi permisit loquendi libertatem, dictú debere accipi, ostendunt alij plerique loci, in quibus itidem aliquid mirè dici scribit. Estque illi hoc vocabulum cum aliis enarratoribus, ac nominatim cum

Ælio

Ælio Donato & Seruio, commune: modò hac, modò illa de causa, quod à poeta dictum est, magni facientibus.

Sed ego, antequam Porphyrioni & Acroni (seu Pseudacroni) valedicam, mirum quid me apud hunc legisse non dissimulabo, in loco qui ei quem modò proposui valde est vicinus: mirum inquam, non itidem præstantiæ, solertiæ, elegantiæ ergo, sed potius inscitiæ: cuius dedecus in ipsum Horatium redundaret, si fidem huic eius enarratori habere vellemus. Nã quum in eadem illa ode scripserit, *-tu, nisi ventis Debes ludibrium, caue*, enarrator ille hæc perinde exponit acsi Horatius aliquid à Latinitate omnino alienum sibi permisisset. hoc videlicet modo, *Tu, nisi caue, (pro caueas) debes ludibrium ventis. Id est, eris exercitium ventorum.* Sed apud cõmentatorem anonymum, qui ante aliquot annos editus fuit, affertur & alia expositio, ista, *Tu nihil debes ventis nisi ludibrium: caue.* Atque ille ipse qui hũc commẽtatorem luce donauit, putat, (quod & ipsum miror) exponendum, *Tu nihil nisi ventis debes ludibrium.* vt *nisi* positum sit pro *quàm*, per ellipsin τȣ̃ *nihil.* Quãuis autem minorem Latinitati faceret iniuriam Horatius si hoc quàm si illo modo loqueretur, tamen & sic loquendo, tantam faceret quantam non critici solùm, sed ne ij quidem qui criticorũ discipuli tantùm essent, tolerare possent. I nunc, & quorundam enarratorum confisus præsidio, criticam de poetis censuram aude agere.

De Criticis Latinis dicendi finem tandem faciam, si prius ad quæstionem illam respondero, an omnes grammatici, omnes saltẽ illustres (vt quidem à Suetonio Tranquillo honorantur) critici fuerint: &

de ea quam in poetarum præsertim libros conferebant opera, disseruero.

Dico igitur, illos omnes illustres grāmaticos, criticos quidem fuisse δυνάμει, aut saltem haberi voluisse: at ἔργῳ, nequaquam omnes fuisse. Id est, non omnes quidem illos criticorum partes suscepisse, siue criticorum officio functos esse, sed nullum tamen fuisse qui doctrina ad criticen idonea instructus non esset, aut saltem haberi non vellet. Legimus quidem certè, apud Suetonium, appellationem grammaticorum Græca consuetudine inualuisse, quum initio literati vocarentur: ac Cornelium Nepotem, in libello quo distinguit literatum ab erudito, tradere, literatos quidem vulgò appellari eos qui aliquid diligenter & acutè scientérque possint aut dicere aut scribere: cæterùm propriè sic appellandos poetarum interpretes. Sed totum locū eo quo apud Suetonium scriptus est modo proferam, simúlque, quid in eius scriptura mutandum censeam, non tacebo. Apud eum igitur (in ea quidem editione cui Achillis Statij Lusitani commentatio adiuncta est) legimus, *Cornelius quoque Nepos, in libello quo distinguit literatum ab erudito, literatos quidem vulgo appellari ait eos qui aliquid diligenter & acutè scientérque possint aut dicere aut scribere. Cæterùm propriè sic appellandos poetarum interpretes, qui à Græcis grammatici nominentur, eosdem literatos vocitatos.* Nam primùm quidem, post *scribere* malè posita est stigme τελεία, quasi hæc, *Cæterùm propriè sic appellandos poet.* ἀπ᾽ ἄλλης ἀρχῆς dicantur: quum tamen opponantur præcedentibus, post quæ suspensa relinquitur oratio: deinde ante pronomen *qui* omissam esse arbitror causalem particulam *nam*, vel *enim*. vt totus locus

ita

ita legatur, *Cornelius quoque Nep. in lib. quo dist. lit. ab erudito, lit. quidem vulgo appellari ait eos qui aliquid dilig. & ac. scienterque poßint aut dicere aut scribere: cæterùm propriè sic appellandos poetarum interpretes. nam qui à Græcis grammatici nominentur, eosdem literatos vocitatos.* vel, *qui enim à Gr.* Vt perinde sit acsi scriberet, Id quod de grammaticis dicatur, eorum esse partes poetas interpretari, de illis itidem qui literati vocentur, esse intelligendum: quum non alij sint hi quàm illi, sed tantùm appellatio vetus Latina in Græcam mutata sit. Poßit tamen fortasse illa particula & post *nominentur* poni: hoc modo, *cæterùm propriè sic appellandos poetarum interpretes, qui à Græcis grammatici nominentur. nam eosdem literatos vocitatos.* vel, *eosdem enim literatos vocitatos.* Quemadmodum autem pro grammaticis Literatos dixisse Latinos ait, ita pro grammatice eos Literaturam dixisse scimus: quamuis & secus hoc vocabulo vtatur Cicero. Nec video (quod pace Quintiliani dictum sit) quid obstet quominus & Literatoria dici poßit, imo certè magis hæc vocabuli Latini forma formæ Græci respondere videtur quàm illa altera. Vnum tantùm hîc incommodum animaduerto, quòd Literatoriam si dicamus, hoc vocabulo vtemur, perinde acsi præcedat Literator: quum non itidem in sermone Græco illa voce γραμματικὴ aliam priorem imaginemur, quæ illi Literator respondeat. Sed ne Literatrix quidem video cur illi displicere debuerit, tanquam non satis Græci verbi vim exprimens. Ac totus sanè ille Fabij locus subtilius quiddam quàm verius (si de critice agenti aliquid κριτικῶς obiter de eo dicere fas est) habere mihi videtur.

Rhetoricen in Latinum transferentes (inquit) *tum Oratoriam, tum Oratricem nominauerunt.* Et, paucis interiectis, *Et hæc interpretatio non minus dura est quàm illa Flauij, Essentia atque Entia. Sed ne propria quidem. nam Oratoria sic effertur vt Eloquutoria: Oratrix, vt Eloquutrix. Illa autem de qua loquimur, Rhetorice, talis est qualis Eloquentia. Nec dubiè apud Græcos quoque duplicem intellectum habet. nanque vno modo fit appositum, Ars rhetorica, vt Nauis piratica: altero, nomen rei, qualis est Philosophia, Amicitia. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam. vt Grammatice Literatura est, non Literatrix, quemadmodum Oratrix: nec Literatoria, quemadmodum Oratoria. Verùm in Rhetorice non sic.* Quem locum scio nonnullis multum negotij facessere: sed ex obscuro clarum reddam, deinde quid mihi videatur iis quæ dicit opponendum, subiungam. Ille igitur interpretationem hanc qua Rhetorice redditur Oratoria vel Oratrix, non solùm durã, sed etiam impropriam esse ait: quòd *Rhetorice* tanquam substantiuum nomen debeat à nobis considerari, (huc enim illa pertinent, *nos ipsam nunc volumus significare substantiam*) non tanquam adiectiuum, (pro quò *appositum* dicit, quod respondet τῷ ἐπίθετον, seu ἐπιθετικὸν) sicut quum dicitur *Ars rhetorica*: ideóque sicut pro Grammatice non dicitur Literatrix, nec Literatoria, sed Literatura: ita inueniendum esse quod pro Rhetorice eodem modo dicatur: id est, substantiui formam itidem habens. at Latinam linguam nihil tale formare nobis permittere: ideóque necesse habere Græco Rhetorice vti. Sed his oppono, tum etiã quum ῥητορικὴ dicitur, sine adiectione, tamẽ τέχνη subaudiri: eodemque modo, quum γραμματική: ideóque nec malè illic dici Oratoria, vel Eloquutoria, siue Oratrix, vel Eloquutrix:

trix: neq; hîc, Literatoria, vel Literatrix. quidni enim Ars à Latinis, vt à Græcis τέχνη, subaudietur? Scio tamen, multis Rhetorice quidem & Grammatice, aliáque huiusmodi, substantiua videri, sicut Rhetorica & Grammatica, & similia, nonnisi adiectiua: ac fateor quidem illa magis substantiuorum formam habere, sed vnicum tamen ῥητορικὴ esse pro vtroque illorum Latinorũ, itidémq; vnicũ esse γραμματικὴ pro duobus illis Latinis, fateri etiam necesse est: ideóque, si in his Græcis sit ea quam dico ellipsis (qua de re mihi cum Quintiliano cõtrouersia est) non minus esse in vtroque nomine Latino.

Ad ῥητορικὴν autẽ quod attinet, hoc etiã habet cum nomine *oratoria* siue *eloquutoria*, commune, quòd vt ῥήτορος appellatio illud præcedit, ita prius est illo quidem, *orator*, hoc autem, *eloquutor*. Verùm si γραμματικὴ pariter interpretemur *literatoria*, haud scio an itidem satis aptè *literator*, quod natura præcedit, si ipsa formatio spectetur, prius esse dicemus, ipsam rei naturam considerando. Quomodo enim literator quis esse potest antequam literatoriam, per quam aliquis fit literator, didicerit? Atqui eadem & de *oratoria* moueri quæstio potest: dicet aliquis. quomodo enim oratorẽ imaginari possumus alium quàm eum qui iam oratoriã artem didicerit? Respondeo, posse nos ῥήτωρ illud quod ῥητορικὴν præcedit, simpliciter etiam pro eo qui ῥητὴρ poeticè dicitur, accipere. Qua tamen de re ἐπέχων, & ad illam literatoris appellationem sermonem vertẽs, lectorem admoneo, quamuis eadem videri possit cum grammatici appellatione, atque adeo apud Catullum *literator* à plerisque non aliter exponatur: tamen à Suetonio discrimen inter hæc poni,

ex nonnullorum ſententia. *Sunt* (inquit) *qui literatum à literatore diſtinguant, vt Græci grammaticum à grammatiſta: & illum quidem, abſolutè, hunc, mediocriter doctum exiſtiment.* Et addit, eorum opinionem ab Orbilio exemplis cõfirmari. Nam apud maiores, quũ alicuius familia venalis produceretur, nõ temere aliquem in titulo non literatum, ſed literatorem inſcribi ſolitum, quaſi non perfectum literis, ſed imbutum.

Sed vt de officio literati ſaltem (ſi eo inferior eſt literator) id eſt grammatici, pergam verba facere, eius eſſe poetas interpretari, Cicero etiam teſtatur, libro De diuinatione primo. Nam de oraculis & de ſortibus loquutus, *Quorum omnium* (inquit) *interpretes (vt grãmatici poetarum) proximè ad eorum quos interpretantur diuinationem videntur accedere.* Quàm multarũ autẽ rerum cognitio ad poetarum interpretationem requiratur, oſtendit Quintilianus. Verùm in eo diſſentit à Suetonio, quòd hic probare videtur veterum grammaticorum morem docendi rhetoricam, ille, improbare. Poſtquam enim dixit Suetonius, veteres grammaticos rhetoricam etiam docere fuiſſe ſolitos, ac multorum de vtroque arte commentarios ferri: ſecundum quam conſuetudinem poſteriores quoque exiſtimat, quanquam iam diſcretis profeſſionibus, nihilominus vel retinuiſſe vel inſtituiſſe & ipſos quædam genera inſtitutionum ad eloquentiam præparandam, vt problemata, periphraſes, eloquutiones, (ſed paraphraſes ſcribendũ puto, & vocem eloquutiones ſuſpectam habeo) ethologias, atque alia id genus, ne ſcilicet ſicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur: hæc (inquam) poſtquam dixit, iſta proximè addit, *Quæ quidem omitti iam video, deſidia quorundam*

rundam & infantia. nō enim fastidio putem. At Fabius postquam initio libri secundi dixit tenuisse consuetudinem, quæ quotidie magis inualesceret, vt præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem semper, sed etiam Græcis interim, discipuli serius quàm ratio postulat traderentur: eius rei duplicem esse causam ait, quòd & rhetores Latini suas partes omiserunt, & grammatici alienas occupauerunt. Nam & illos declamare modò, & scientiam declamandi ac facultatem tradere, officij sui ducere, ídque intra deliberatiuas iudicialésque materias (nā cætera vt professione sua minora, despicere) & hos non satis credere, excepisse quæ relicta erant (quo nomine gratia quoque his sit habenda) sed ad prosopopœias vsque & ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpere. *Hinc ergo accidit* (inquit) *vt quæ alterius artis prima erant opera, facta sint alterius nouissima: & ætas altioribus iam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac rhetoricē apud grammaticos exerceat.* Sed quanuis hîc ista scribat, tamē rhetorica quędam (id est, ad rhetoricam artem pertinentia) doceri à grammaticis permittit, libri primi capite decimoquinto: inter quæ numerat ethologias, quarū & à Suetonio fieri mentionē videmus. Verùm longè vlterius olim fuisse progressos quosdam grammaticodidascalos, & simul etiam rhetoricodidascalos omnino fuisse, discimus ex iis quæ addit Suetonius, *Audiebam etiam, memoria patrum quosdam è grammatici statim* (vel *Statij*) *ludo transisse in forum, atque in numerum præstantissimorum patronorum receptos.* Iam verò apud eundem legimus fuisse & qui rhetoricam prius docuerit quàm grammaticam. nam Aurelium Opilium philosophiam primò, deinde rhetoricā, nouissimè grammaticam,

maticam docuisse. Sed quorsum hæc quæstio, an grammaticos aliquid etiam rhetoricũ docere oporteat. Aliena certè non est ab eo quod tracto argumento: quoniam criticum (cuius officio fungi debere si non quemlibet grammaticum, at saltẽ insignem quemuis grammaticum, dictum est) in ea vel maximè inquirere oportet quæ ad artem rhetoricam pertinent, vbicunque poemati aliqua huiusmodi inspersa sunt. Multa autem talia Virgiliano poemati nominatim inspersa esse, vel ex eo constat quod apud Seruium legimus, fuisse qui declamationes in Virgilium scripserit, id est, quarũ argumenta ex Virgilio sumpta essent. Meminit harum, cùm alibi, tum hunc in locum libri Æneidos decimi,

-- AEneas contrà cui talia reddit,

Argenti atque auri memoras quæ multa talenta

Gnatis parce tuis.

Hæc enim apud eum legimus hunc in locum, *Qui in Virgilium scripsit declamationes, de hoc loco hoc ait, Improbus es, qui aut regi dones, aut filios exhæredes.*

Criticorum porro munere eo digniores fuisse quosdam grammaticos quo magis varia eorum erat eruditio, nemo negauerit. Hoc autem de plerisque persuasum nobis esse potest ex iis quæ à Suetonio scribuntur: & quidẽ nominatim de Aurelio Opilio. neque enim de eo hoc tantùm testatur (quod & modò retuli) philosophiam primò, deinde rhetoricam, nouissimè grammaticam docuisse: sed etiam composuisse variæ eruditionis aliquot volumina.

Cæterùm has criticorum partes suscipere fuisse solitos, ex eodẽ colligimus: præsertímque ex iis quæ de Q. Rhẽnio Palæmone refert (licet arrogantiæ plenis) dicere

dicere eum solitum, nomen suũ in Bucolicis non temere positũ, sed presagiente Virgilio, fore quandoq; omniũ poetarum ac poematũ Palæmonem iudicem. Nam iudicem, id est κριτὴν, de eo etiã qui κριτικὴν censuram in poetas exerceret, intelligebant. Nec fortasse aliter vsus est Horatius, vbi dixit,

Non quiuis videt inmodulata poemata iudex.

Itidémque hoc in loco,

Albi, nostrorum Sermonum candide iudex.

Non minor est porro honor qui Valerio Catoni grãmatico deferebatur, ad officiũ illud quod attinet, quàm is quẽ & ipse sibi Palæmon tribuebat. Idẽ enim Suet. de eo scribit, *Visúsq; est peridoneus præceptor maximè ad poeticã tendẽtibus: vt quidẽ appar re vel his versiculis potest,*

Cato grammaticus, Latina siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

Neque verò eum appellare *cor Zenodoti, & iecur Cratetis*, aliud erat (vt opinor) quàm præstantissimum vel summum criticum vocare. Illa autem de eo dicta videmus fuisse ab horum versiculorum autore,

Catonis modò Galle Tusculanum
Tota creditor vrbe venditabat:
Mirati sumus, vnicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes soluere posse quæstiones,
Unum difficilè expedire nomen:
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Postquã enim lusit in ambigua vocabuli *nomen* significatione, nõ aliter tamẽ quã si de difficultate loquutus esset quã exhiberet alicui grãmatico proposita de quopiã nomine quæstio, ita suum sermonẽ claudit,

En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

perinde (vt opinor) acsi diceret, En quantum illi prosit duorum præstantissimorum & grammaticorum & criticorum (vel potius præstantissimorum inter grammaticos criticorum) Zenodoti & Cratetis cor habere. Sed festiuius vnius quidē cor, alterius autem iecur dixit. Scimus autem Græcum fuisse vtrunque: quamuis inter Latinos à Suetonio Cratetis quoque fiat mentio, & quidem tanquā primi in Vrbe grammatici. Sed animaduertendum nobis est quod à quibusdā minimè animaduersum fuisse video, non dici tamen eum Latinæ linguæ grammaticen docuisse, sed Latinis grammaticis exemplo fuisse ad imitandū. *Primus igitur* (inquit) *quantum opinamur, studium grammaticæ in Vrbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis.* Quibus addit, eum missum ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennij mortem, quum in regione palatij prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tēpus plurimas ἀκροάσεις subinde fecisse, assiduéque disseruisse, ac Romanis (nam Nostris dicit) exemplo fuisse ad imitandū. Sed & addit, qua in re versaretur illa imitatio, vel potius, quibus in rebus. eiusmodi autē sunt vt inter eas quoque aliquid ad officiū critici pertinens agnoscamus. Addit enim, *Hactenus tamen imitati vt carmina parum adhuc diuulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandóq; etiam cæteris nota facerent: vt C. Octauius Lampadio Næuij Punicum bellum; quod vnico volumine & continenti scriptura expositum, diuisit in septem libros.* Sed obseruandum est inter cætera illud *legendo*: quod peculiarem quendam vsum habere videtur quum de legente grammatico

& eo quidẽ critico dicitur: perinde fortaſſe acſi criticum non aliorũ more, ſed criticè, id eſt, cum critico quodam iudicio, legere dicendum eſſet. Atque id multo etiam iuſtius dictum iri videtur de illo *legit* quod habemus in vno illorum de Valerio Catone verſuum,

Cato grammaticus, Latina ſiren,
Qui ſolus legit ac facit poetas.

At verò de Q. Cæcilio ſcribit, eum dici, primũ, Latinè ex tempore diſputaſſe, ac primum, Virgilium & alios poetas nouos prælegere (ita enim, non perlegere, ſcribendum) cœpiſſe. Quod etiá (inquit) Domitij Marſi verſiculus indicat,

Epeirota tenellorum nutricula vatum.

Quamuis porro Suetonius inter illa quę de grammaticis ſcribit, in nullo (quod ſciam) mentionem aliquorum eius ſcriptorum ad criticen pertinentium faciat, veriſimile tamen eſt pleroſque talia quædam reliquiſſe. Atque hoc vel ex iis quæ de Valerio Probo alibi legimus, colligere eſt. eum enim nõ pauca eiuſmodi ſcripſiſſe oſtendút ea quæ extant talis ſcriptionis velut δείγματα: quum tamen nullam Suetonius in eius vita mentionem talium ſcriptorum faciat, ſed tantùm illum nimis pauca & exigua de quibuſdam minutis quæſtiunculis edidiſſe tradat. Sed & hæc de illo, quæ ad criticen pertinent, ſcribit, *Multáque exemplaria contracta emendare ac diſtinguere & adnotare curauit, ſoli huic nec vlli præterea grammatices parti deditus.*

Nec hoc quidem omittendum eſt, licet criticorum multi fungentes officio in exercenda aduerſus poemata cenſura, poetæ tamen non eſſent, ſed ſimul etiam vice cotis (vt loquitur Horatius) fungerentur,

quæ acutum ferrum valet reddere, quum secandi ipsa sit exors: fuisse tamen ex illis & qui poetæ essent, & quidem eorum etiam grammaticorũ, quorum vitas scripsit Suetonius, nonnullos. Nam de Rhemnio Palæmone dicit, *Necnon etiam poemata faciebat ex tempore. Scripsit ex* (nisi potius legendũ *Scripsit ea*) *variis nec vulgaribus metris.* Scripsisse ait & Valeriũ Catonẽ præter grãmaticos libellos etiam poemata, ex quibus præcipuè probari Lydiam & Dianã. Quinetiã in eo capite quo agit de grammaticorum appellatione, *Significat enim haud dubiè* (inquit) *Valerium Catonem, poetam simul grammaticûmque notissimum.* Hîc verò aliquid mihi in mentem venit quod apud Acronem, siue potius Pseudacronem, legi, annotatum ab eo in ista Horatij verba, (quæ non procul absunt à fine libri prioris Sermonum) *-& hæc vtinam Viscorum laudet vterque.* In hæc enim verba scribit, *Visci, duo fratres fuerunt, optimi poetæ. Alij dicunt criticos fuisse.* Miratus sum sanè ita hæc ab isto dici, quasi in eundem non caderet & poetam esse & criticum. Sed apud eum commentatorem quem Iacobus Cruquius, primus (vt opinor) in lucẽ dedit, aliam lectionem, & mihi satisfacientem, & lectori itidem, vt spero, satisfacturam, inueni, *Visci, duo fratres fuerunt, optimi poetæ, & iudices critici.* Non tamen omnes grammaticos qui illustribus illis posteriores fuerunt, præsertímque eos quos postremum aut postremo proximum Latinitatis seculum tulit, ea doctrina fuisse quæ ad criticen requiritur, apparet vel ex iis quæ ab Aulo Gellio de quorundam ad nonnullas quæstiones responsionibus commemorantur. Quibus certè non immeritò quis Tiberium Donatum addiderit, cuius inscitiam, & crassam eam quidem, nonnulla à nobis

nobis in præcedentibus allata satis supérque produ͂t. Illis autem pleraque similia, aut non multum dissimilia, qui extant commentarij exhibent: quos ideo falsò illi adscribi nō immeritò suspicaremur, nisi & ipsum Seruium talia in illo reprehendentem audiremus. Ad Valerium autem Probum quod attinet, vereor ne illi iniuriā faciamus, nisi pleraque sub eius nomine edita tanquam ψευδεπίγραφα reiiciamus.

NEC VERO soli grammatici censuram criticam in aliquorum scripta exercuerunt, nec tales censores, siue grammatici fuerint, siue alij, in alia nulla scripta quàm poetica inquisiuerunt. Atque vt de censuris in poetas quæ ab aliis quàm grammaticis profectæ sunt, prius verba faciam, Senecæ quædam in Virgilium extant. Nam epistola LIX legimus, *Itaque quum dicat* (nisi *dicit* potius scribendum est) *Virgilius noster, & mala mentis Gaudia, disertè quidem dicit, sed parum propriè. nullum enim malum gaudium est. Voluptatibus hoc nomen imposuit*, &c. Sed inter omnes reprehensiones grauissima esse illa videtur quam epistola LXXXVI legimus. de hoc enim ipso poeta scribit, *Qui non quid verißimè sed quid decentißimè diceretur aspexit: nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare.* At ego Georgicωn poema ita esse poeticum dico, id est, ita stylo & ornatu poetico esse scriptum, vt interim sit διδασκαλικόν: ideóque agricolas διδάσκειν, esse illius ἔργον: lectores delectare, esse πάρεργον. Quid? nónne & Æneis est poema διδασκαλικόν? Respondeo, alio modo esse διδασκαλικοὺς libros illos, alio, libros Æneidos, qui sub figmentis nos διδάσκουσι.

Quidam etiam sunt loci huius poetæ quos examinari ab eo diligentissimè, ac (propè dixerim) curiosissimè, videmus: sed ita vt laudentur potius quàm re-

prehendantur. Sic etiam epistola c i i i i, postquam attulit hunc versum, (qui libro Æneidos sexto legitur)

Terribiles visu formæ, Lethúmque, Labósque,

ei quidem velle contradicere videtur initio, (scribit enim, *Minimè quidem, si rectis oculis intueri illa possis, & tenebras perrumpere. Multa per noctem habita terrori dies vertit ad risum*) sed vbi more suo iterum eundẽ versum nobis proposuit, *Terrib. v. f.* &c. exclamat, (nam epiphonematis speciem præ se ferunt illa verba) *Egregiè Virgilius noster, non re dixit terribiles esse, sed visu. id est, videri, non esse.* Quibus addit, *Quid (inquam) in istis est tam formidabile quàm fama vulgauit? Quid est, obsecro te, Lucili, cur timeat laborem vir, mortem homo?* Sed aliquis non immeritò fortasse negauerit Senecæ, ea, aut saltem quædam ex iis quæ visu terribilia sint, non etiam re ipsa esse talia. At verò hoc ipsum in alium huius poetæ locum ab eo annotatum, verum esse fateantur omnes necesse est. *Virgilius* (inquit) *ait de nauibus, -credas innare reuulsas Cycladas. Quòd non dicit hoc fieri, sed videri, propiciis auribus auditur* (malè enim *videtur* in typogr. editionibus) *quamuis incredibile est: quòd excusatur antequam dicitur.* Præcedunt autem ista de alio eiusdem loco, *Virgilius quidem ait, Rapit haud partem exiguam montis: ita magnitudini se dat. Sed vt non impudenter discedat à fide, est inflatum.* Videtur autem hæc dicere de isto loco qui legitur libro x,

Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnesßius Acmon.

Alius certè loci non recordor, in quo scripserit, aliquem rapere haud exiguam montis partem. Cæterùm quum dicit Seneca, *Sed vt non impudenter discedat à fide,*

à fide, est inflatum, intelligi ab eo puto, hoc dictum Virgilij, quamuis non habeat impudentem hyperbolen, esse tamen inflatum. Fortasse tamen hic locus mendo nõ caret: & quidẽ huius loci ista nominatim verba, *ita magnitudini se dat*, nõ immeritò suspecta cuipiã fuerint.

Obseruationes insuper quasdam tanquam ex aliis affert, accuratam poematum Virgilij lectionem testantes. Ex illis duæ extant in epistolæ CVIII, (quæ vulgò malè CIX numeratur) extrema parte. *Nunquam Virgilius* (inquit) *dies dicit ire, sed fugere: (quod currendi genus concitatissimum est) & optimos quosque, primos rapi.* Quis autem est qui hoc apud Senecam inquit? is qui ad philosophiam spectãs Virgilium scrutatur. Quum enim scripsisset Seneca, aliquid præcipientium vitio peccari, qui nos docent disputare, non viuere: aliquid & vitio discentium, qui propositum afferunt ad præceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium: atque hinc, quæ philosophia fuerat, factam fuisse philologiam: addidit, *Multum autem ad rem pertinet, quo proposito ad quam rem accedas.* Atque istud exemplis facere manifestum volens, addit, *Qui grammaticus futurus Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium, — fugit irreparabile tempus, Vigilandum est: nisi properamus, relinquimur. agit nos agitùrque velox dies, inscij rapimur. omnia in futurum disponimus, & inter præcipitia lenti sumus. Sed vt obseruet, quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc vti verbo illum,* FVGIT. Atque hinc ad aliud exemplum venit talis vsus verbi illius *fugit:*

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit: subeunt morbi tristísque senectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Atque his versibus subiungit mentionẽ eius quoque qui in Virgilij lectione ad philosophiam spectat. Illum enim qui ad philosophiam spectat, hæc eadem quo debet dicit adducere. *Nunquam Virgilius* (inquit) *dies dicit ire, sed fugere: quod curr.* &c. vt paulo antè habuisti. Antequam verò longius abeam, de hoc obiter monebo, videri posse quædam deesse ante illa verba, *Vigilandum est: nisi properamus, relinquimur:* & vel hanc esse loci huius lectionem, *Qui grammaticus futurus Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium, -fugit irreparabile tempus, vt statuat, Vigilandum est.* vel hanc, in quã, germanam lectionem esse, vel non absimilem (cuiusmodi hæc fuerit, *vt apud se consideret*) quum sequatur, *sed vt obseruet.* Sed potest etiam existimari integer esse hic locus, vt ista verba, *Non hoc animo legit illud egregium, -fugit irrep. tempus, Vigilandum est,* &c. ita accipiamus, Dum legit illud egregium, illi in mentẽ ista non veniunt, Vigilandum est, &c. Vel breuius, Ista non cogitat, Vigilandum est, &c.

Cæterùm interiectis quibusdam eodem pertinentibus, ad hæc venit, *Itaque toto hoc agamus animo, & omissis ad quæ diuertimus, in rem vnam laboremus, nec* (sed *ne* scribendũ) *hanc temporis pernicißimi celeritatẽ, quam retinere nõ poßimus, relicti demum intelligamus. Primus quisque tanquam optimus dies placeat, & redigatur in nostrum. Quod fugit occupandum est.* Hæc autem postquam dixit, ad illum reuertens qui grammaticus futurus Virgilium scrutatur, & venusto loquendi genere de eo vtẽs, Hoc (inquit) non cogitat ille qui grammaticis oculis carmen istud legit, ideo optimum quẽque primum esse diem, quia subeunt morbi, quia senectus premit, & adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est. Atque hinc

hinc ad aliam obſeruationem tranſit, quam ex eius perſona proponit. Scribit enim, *Sed ait, Virgilium ſemper vnà ponere morbos & ſenectutem: non mehercule immeritò. Senectus enim, inſanabilis morbus eſt. Præterea, inquit, hoc ſenectuti cognomen impoſuit: triſtem illam vocat. -ſubeunt morbi triſtiſque ſenectus.* Sed multa his quæ à Seneca proponũtur ex grammatici perſona, ab eodem addi potuiſſent: ab eodem inquam Seneca, ex eiuſdem perſona. Nam ad illam morborum cum ſenectute coniunctionem vel prouerbium ipſum facit, αὐτὸ τὸ γῆρας, νόσος. quod ex Græco & quidẽ apud Græcos antiquo prouerbio tranſlatum ab eo eſſe conſtat: quum etiam Apollodorus (teſte Ælio Donato) eo vſus eſſet, ex quo & alia multa eundem comicum in eandem comœdiam, Phormionem videlicet, tranſtuliſſe, verbũ verbo reddentem, videmus. Hæc autem ſunt Apollodori de ſenectute verba, τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα. Quinetiã addere poſſet iſtos ad illud prouerbium pertinentes ſenarios Antiphanis,

Πρὸς γὰρ τὸ γῆρας, ὥσπερ ἐργαστήριον,
Ἅπαντα τἀνθρώπεια προσφοιτᾷ κακά.

Id eſt,

Nanque ad ſenectutem, officinam ceu ſuam,
Humana ſeſe conferunt mala omnia.

Sed longè abſum ab eo vt poſſim, vel potius longè abeſt Latina lingua ab eo vt poſſit idem tam ſignificanter dicere. Dum enim conſideramus nominis ἐργαστήριον originem ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι, iam nobis repræſentamus & ante oculos ponimus tã varios morbos (nam hîc ἅπαντα κακά, id eſt, omnia mala, ſunt ἅπαντα νοσήματα, id eſt, omnes morbi) tam varia ἔργα in humanis corporibus ſenectute affectis, tanquam in ergaſteriis.

ſuis, ἐργαζομένους. ideóque verti, (etiã in libello in quem Græcorum comicorum ſententias collegi) *officinam ceu ſuam*, quum antea *officinam quampiam* legeremus in iſta horum ſenariorum interpretatione,

Miſeram ad ſenectam, vt ad officinam quampiam,
Mala vniuerſa confluunt mortalium.

Extant & alij duo pertinentes eodẽ ſenarij, ſub eiuſdem comici, Antiphanis inquam, nomine,

Τὸ γῆρας, ὥσπερ βωμός ἐστι τῶν κακῶν·
Πάντ' ἐσ' ἰδεῖν εἰς τοῦτο καταπεφευγότα.

Id eſt,

Senium, malorum ara velut eſt mortalibus,
Confugere ad illud conſpicamur omnia.

quum antea hi verſus ita redditi fuerint,

Quædam eſt malorum ara ſenectus omnium:
Adeo videre eſt cuncta ad hanc recurrere.

In qua interpretatione minimè ſeruatur proprietas vocabuli καταπεφευγότα. ea enim vt ſeruaretur, dicendum erat *Ad aram confugere*, non *Ad aram recurrere*. Sed vt ad aliam maioris momenti cenſuram veniam, (quæ aut critica, aut tanquam critica eſt) haud aptè ſenectutem aræ comparaſſe videtur Antiphanes. quã enim analogiam habet comparatio eorum qui ad aram confugiunt, cum malis, id eſt morbis, ad ſenectutem, tanquam ad ſedem ſibi deſtinatam, conuenientibus? Qui ad aram confugiunt, non de inferendo iniuriam, ſed tantùm de ſupplicando cogitãt: nullíque magis demiſſo ſunt animo: at morbi qui in ſenectutem, id eſt, in corpora ſenectute affecta, confluunt, illis omne iniuriæ genus inferre parati veniunt: & quidem cum magna confidentia ad hoc agendum accedunt. At verò qui ſenectutem λιμένα eſſe

dixit,

dixit, id est portum, non itidem reprehendendus esse videtur.

Cæterùm quum prouerbio dicatur, *Senectus ipsa est morbus*, Seneca nonnihil ab illo deflectens, dicit, *Senectus, insanabilis morbus est.* Quid? an illum hac adiectione aduersus prouerbium agere criticum voluisse dicemus? voluisse illud κριτικῶς reprehendere? Imo verò suum sensum habent illa prouerbij verba, suum verba Senecæ. Nam qui dicit, *Senectus ipsa est morbus*, intelligit, hominem senem, eo ipso quòd sit senex, morbi expertem non esse: at qui ait, *Senectus, morbus insanabilis est*, vlterius etiam progreditur. quum enim ex morbis alij sanabiles sint, alij insanabiles: perinde est acsi diceretur, *Senectus ipsa morbus est, & quidem insanabilis.* vel, *& quidem ex insanabilium numero.*

Hæc autem omnia tanquam ἐν παρόδῳ proposui, sed non tamen à meo argumento aliena: partim quòd sint velut supplementum eorum quæ cogitare potest aut etiam debet is qui grammaticis oculis illud Virgilij carmen legit: (non propositurus tamẽ, nisi vidissem, Græca ista quæ illi Virgilij consuetudini pondus addunt, atque adeo illam confirmant, ab iis prætermissa qui alioqui Græcorum locos cum Virgilianis aut hos cum illis adeo curiosè contulerunt, vt multa etiam leuia & ἀπροσδιόνυσα admiscuerint) partim, quòd formando ad criticen iudicio apta esse videantur.

Iam verò (vt ad obseruationes reuertar) tertia quoque duabus illis adiici (meo quidem iudicio) potuisset: Virgilium aliquoties laborem & mortem copulare. Legimus enim in duorum præcedentium locorum vno,

Terribiles visu formæ, Lethúmque, Labósque:

in altero,

Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Est sanè (ni fallor) obseruatio ista non minoris momenti & non minus grammaticis oculis perspici digna quàm illæ duæ nobis à Seneca propositæ. Et verò hunc ipsum vno eodémque in loco mortis & laborum mentionem facere animaduerti, commentarij De vita beata capite xx, *Qui sibi hoc proposuit, Ego mortem eodem vultu audiam quo videbo: ego laboribus, quanticunque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus.* Sed aut aliud verbũ in locum τοῦ *videbo* hîc substituendum est, aut ordine mutato scribendum est, *ego mortem eodem vultu videbo quo audiam.* Videbo (inquam) quamuis, vt modò dictum fuit, sint *Terribiles visu formæ, Lethúmque, Labósque.*

SED vt ab his ad aliud veniam quod magis ad argumentum nostrum pertinet: id est, ad insigne iudicij verè critici exemplum: lectorem legere apud eundem Senecam finem Controuersiæ primæ libri primi iubebo: vel potius ipsemet inde locum depromptum ei proponam. Ibi enim de Cæstio rhetore seu oratore loquens, dicit, eum in quadam narratione, quum fratrem traditum sibi describeret, placuisse sibi in hac explicatione vna & infelici, *Nox erat concubia, & omnia, iudices, canentia sideribus muta erant.* Quibus addit, Montanum Iulium, qui comis fuit quíque egregius poeta, dicere solitum, illum imitari voluisse Virgilij descriptionem,

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudúmque genus sopor altus habebat.

At Virgilij imitationem bene cessisse, qui illos optimos versus Varronis expressisset in melius,

Desie-

Desierant latrare canes, vrbisque silebant:
Omnia noctis erant placida composta quiete.

His autem criticum Ouidij iudicium subiungit. *Solebat Ouidius* (inquit) *de his versibus dicere, potuisse fieri longè meliores, si secundi versus vltima pars abscinderetur, & sic desineret, Omnia noctis erant.* Sed harum Controuersiarum autor suam de hoc critico iudicio sententiā profert: his verbis, *Varro quem voluit sensum optimè explicuit: Ouidius in illius versu suum sensum inuenit. aliud enim intercisus versus significaturus est, aliud totus significat.* Quid hac de sententia dicemus? an illi esse assentiendum? ego certè Ouidio potius assentiendum esse dixerim. Nisi fortè obiiciat quispiam, ita excusari Varronem, vt tamen non negetur quod ab Ouidio dicitur, fieri potuisse hos versus longè meliores si secūdi versus vltima pars abscinderetur. Quod si ita est, intelligemus, eū, postquam dixit, Varronem, quem voluit sensum optimè expressisse: addentem, Ouidium in illius versu suum sensum inuenisse: inficiari noluisse, hūc alterum sensum quem Ouidius in Varronis versu inuenerit, altero longè meliorem esse. Nam quis neget, hæc verba, *Omnia noctis erant,* non minus elegans quàm nouū loquendi genus habere, & multo latius patentem noctis descriptionem complecti, quàm cōplexura, versu manente integro, essent? Quod autem de hoc loco iudicauit Ouidius, de aliis plerisque iudicaturus est lector apud poetas, qui aliquid κριτικῆς δυνάμεως habebit. In quorundam certè epigrammatis, ego, qui me tamen in numero criticorum non pono (absit vt tanto me digner honore) memini animaduertere, longè venustiora futura fuisse siquis vltimam partem, id est duo disticha, vltimum & penultimum, aut

ſaltem vltimum ex illis abſcidiſſet.

Ac, quoniam in mentionem huius cenſuræ Ouidianæ incidi, addã de illo, multo plus valuiſſe iudicio quàm vulgus credat: & quidẽ adeo valuiſſe vt tutum ſe fortaſſe à criticorũ reprehenſionibus præſtare potuerit, ſi voluiſſet. id eſt, ſi ingenio tẽperare quàm indulgere maluiſſet (vt ſcribit Fabius, *Ouidij Medea oſtendit quantum vir ille præſtare potuiſſet ſi ingenio ſuo temperare quàm indulgere maluiſſet.*) Manifeſtum autẽ huius rei argumentum habere nos contendo in eo quod à Seneca libro Controuerſiarum ſecũdo, necnon ſecundo Declamationum (ſi tamen Senecæ ſunt & illæ declamationes) de ipſo legimus: Rogatum aliquando ab amicis ſuis vt tolleret tres verſus, petiiſſe inuicem vt ipſe tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Quum igitur æqua lex viſa eſſet, & ſcripſiſſent illi ſecretò quos tolli vellent, hic, quos tutos eſſe vellet: in vtriſque codicillis eoſdem verſus inuentos fuiſſe: ex quibus primum fuiſſe narrabat Albinouanus Pedo, qui inter arbitros fuit,

Semibouémque virum, ſemiuirúmque bouem:

ſecundum,

Et gelidum (vel *Egelidũ* potius) *borean, egelidúmq; notũ.*

Nec verò is à quo hæc narrantur (ſiue Seneca is eſt, ſiue alius) illud tacet quod de Ouidio dixi, aut certè aliquid ei ſimile. *Ex quo apparet* (inquit) *ſummi ingenij viro non iudicium defuiſſe ad compeſcendam licentiam carminum ſuorum, ſed animum.* Quinetiam dicitur in illo Controuerſiarũ loco non ignorauiſſe vitia ſua, ſed amauiſſe. Ibi enim legimus, *Declamabat autem Naſo rarò* (verùm *nõ rarò* ſcribendum ſuſpicor) *controuerſias: ſed nonniſi ethicas. Libentius dicebat ſuaſorias. moleſta illi erat omnis argumentatio.*

tatio. Verbis minimè licenter vsus est, nisi in carminibus: in quibus non ignorauit vitia sua, sed amauit. Dixi suspicari me scribendum *non rarò*, quia sequitur *sed nonnisi ethicas*. Alioqui certè videtur subiuncturus potius fuisse, *& nonnisi ethicas.* Cæterùm hæc verba, Nasonē non ignorauisse sua vitia, sed ea amauisse: item, illi non defuisse iudicium ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum: planè conueniunt cum illis Fabianis, illum ingenio suo indulgere quàm temperare maluisse. Sed an istud concedere Senecæ (aut illi quicunque id dixit) debemus, Nasonem verbis licenter in carminibus esse vsum? Ego certè magis licenter illis vsum esse quàm Virgilium, vix concesserim.

Cæterùm criticum de quodam Nasonis loco iudicium, his quæ de illius natura ex Seneca & Fabio attuli appositè adiecturus mihi videor: quòd is locus ex iis sit vnus propter quos potissimùm talem de eo sententiam tulisse crediderim. Legimus igitur Controuersia quinta libri noni, itidémque Declamatione quinta libri quarti, Montanum oratorem laborare hoc vitio, quòd sententias suas repetēdo corrumpat, &, dum non est contentus vnam rem semel bene dicere, efficere ne bene dixerit: & propter hoc atque alia quibus orator potest similis poetæ videri, solitū Scaurum, Montanum vocare Ouidium inter oratores. Quibus additur, *Nam & Ouidius nescit quod bene cessit relinquere. Non multa referam quæ Montaniana Scaurus notabat:* (nisi fortè, *quæ Montaniana in illo Scaurus notabat*, scribendum est) *vno hoc contentus ero. Quum Polyxena esset adducta vt ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit,*

-cinis ipſe ſepulti In genus hoc pugnat.

Poterat hoc contentus eſſe: adiecit,

-tumulo quoque ſenſimus hoſtem.

Nec hoc contentus, adiecit, AEacidæ fœcunda fui. Deinde Scauri generalem de hoc & talibus locis ſententiam affert, *Aiebat autem Scaurus* (inquit) *non minus magnam virtutem eſſe, ſcire deſinere, quàm ſcire dicere.* Hæc ille, vel potius illi: at ego fateor quidem eſſe virtutem iſtud, ſcire deſinere, non minus quàm ſcire dicere: & in illum qui deſinere neſciat, iactari poſſe illud, eum neſcire manum de tabula ponere (etiamſi magis in illum quadret qui nunquam limam è ſuis ſcriptis ſcit deponere: quum tamen nimius limæ vſus illa interdum atterat: vt ſcribit Plinius in quadam epiſtola, *Perfectum opus abſolutúmque eſt, nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur*) fateor, inquam, virtutem eſſe, ſcire deſinere: & vitium eſſe viciſſim, neſcire finem dicendi facere: fateor inſuper, iſtud Ouidio ab aliis quoque obiectũ fuiſſe: ſed vt de aliis taceam locis qui hoc fuerunt nomine reprehenſi, in hunc certè reprehẽſionem iſtam nego cadere: & ex criticis non pauciores defenſores quàm accuſatores habere potuiſſe. Quæ enim perſona loquitur? primùm quidem mulier: (atqui ſcimus muliebrem ſexum natura eſſe μεμψίμοιρον) deinde vetula (notum verò eſt, ſenilis ætatis magis eſſe τὸ μεμψιμοιρεῖν) poſtremò, mulier quæ regina fuit, & regios ſpiritus non omnino depoſuit. iniuriam autẽ tali perſonæ factam, multo maiorem videri, & maiorẽ querendi occaſionem præbere conſtat. Hæc autem quũ ita ſint, & quũ etiam quorumuis μεμψιμοιρούντων (præſertímque quum ſimul etiam θρηνοῦντες id faciunt) ſit μακρολογεῖν, atque adeo ταυτολογεῖν, quam hîc criticis reprehen-

prehendendi sui materiam dare Ouidianam Hecubam dicemus? Cæterùm non legimus apud Ouidiũ, *-in genus hoc pugnat*, sed, *in genus hoc sæuit*, quod multo est significantius. éstque fortassis Senecæ ἁμάρτημα μνημονικόν. (quod & de loco illo suspicari ausim, paulo ante allato, *rapit haud partem exiguam montis*) Totúsque locus (vt de iis quæ afferuntur à Seneca, certius iudicare lector possit) est hic, in quo Hecuba filiæ suæ Polyxenæ iacturam deplorans, hæc inter alia ait, libro Metamorph. XIII,

-at te, quia fœmina, rebar
A ferro tutam: cecidisti & fœmina ferro.
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem,
Exitium Troiæ, nostríque orbator Achilles.
At postquam cecidit Paridis Phœbíque sagittis,
Nunc certè, dixi, non est metuendus Achilles.
Nunc quoque mi metuendus erat: cinis ipse sepulti
In genus hoc sæuit: tumulo quoque sensimus hostem:
Æacidæ fœcunda fui.

Quem locum si totum lector consideret, eo facilius, vt spero, subscribet meæ illi sententiæ, qua Nasonem aduersus criticam illorum censuram tueor, aut tueri saltem conor. Scio alioqui, Nasonē, præsertim si cum Marone conferatur, habere nonnulla quæ detrahi posse videantur, sicut aliqua esse quæ quis huic non immeritò forsitan adiici posse dixerit. Qua de re habes à me epigrammata posteriori meæ editioni huius poetæ præfixa: quorum primum est istud,

Grandiloquum vt nulla ars potis est [illegible] Maronem,
Auctior vt tu sis, ars dare, N[illegible]it.

At verò vltimum, est hoc,

Amni vt pulchrissimo Nasonis comp[illegible],

Sic etiam muſam comparo Virgilij:
Sed ſupra ripas ſæpe ille extenditur amnis,
Seſe intra ripas continet ille ſuas.

Quidam verò ſint loci quos Seneca (nam ad eum reuertendum eſt) reprehendit, dum in eos nimis fortaſſe philoſophicè inquirit. Exemplum habemus epiſtola LVI. ſiquidem poſtquã dixit, *Animum enim cogo ſibi intentum eſſe, nec auocari ad externa. Omnia licet foris reſonent, dum intus nihil tumultus ſit, dum inter ſe non rixentur cupiditas & timor, dum auaritia luxuriáque non diſsideant, nec altera alteram vexet. Nam quid prodeſt totius regionis ſilentiũ, ſi affectus fremunt?* Hæc inquam poſtquam dixit, affert hunc verſum,

Omnia noctis erant placida compoſta quiete.

(ita enim ſcribendum eſt, non *tacita*) & hæc illi velut indignabundus ἐπιφωνεῖ, *Falſum eſt. nulla placida quies eſt, niſi quam ratio compoſuit. Nox exhibet moleſtiam, non tollit, & ſolicitudines mutat.* (ſed hoc *mutat* ex coniectura muto in *inuitat.*) *Nam dormientium quoque inſomnia tam turbulenta ſunt quàm dies. Illa tranquillitas vera eſt, in quam bona mens explicatur.* Nec contentus his, conſiderare nos iubet aliquem ex diuitibus vel potius prædiuitibus, cui quum modis omnibus ſilentium procuretur ad ſomnum capiendum, hunc tamen nullo capere modo poteſt. *Aſpice* (inquit) *illum cui ſomnus laxæ domus ſilentio quæritur, cuius aures ne quis agitet ſonus, omnis ſeruorum turba conticuit, & ſuſpenſum accedentium propius veſtigium ponitur. Huc nempe verſatur atque illuc, ſomnum inter ægritudines leuem captans: quæ non audit, audiſſe ſe queritur. Quid in cauſa putas eſſe? animus illi obſtrepit: hic placandus eſt, huius compeſcenda eſt ſeditio. quem non eſt quod exiſtimes placidum ſi iacet corpus.* Hæc & alia multa aduerſus locum illum affert,

affert, vt mendacij conuincat. Sed pro Varrone (eo fortasse qui Atacinus cognominabatur) responderi posse videtur, non esse verè quietem, eam quæ placida non sit, eam quæ (vt ipse statim pòst loquitur Seneca) inquieta sit. Ac nec istud pro eo malè (vt opinor) respondeatur, eum de quiete illa quæ est κατὰ φύσιν, & non quæ παρὰ φύσιν, verba facere. Est autẽ παρὰ φύσιν quies eius cui animus est inquietus. tranquilla enim vita & otiosa ex animi tranquillitate & otio iudicanda est: vt vel ex isto eius loco discimus, (libri De ira II, capite XIII) *Quid enim quiete otiosius animi?* Huc verò pertinentia multa legimus apud Horatium, qui & hac ipsa voce *otium* ita vtitur: ode XVI, libri secundi, *Otium diuos rogat in patenti Prensus AEgeo*, &c. nam de aliis etiam rogantibus diuos otium loquutus, subiungit,

Non enim gazæ neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Legimus verò apud eundem, ode prima libri tertij, *-neque Decedit ærata triremi, & Post equitem sedet atra cura.* Quinetiam audimus eundem canentem epistola secunda libri prioris,

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri
AEgroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Sed quamuis Horatius de vera quiete idem sentiat quod Seneca, non tamen & de illa reprehẽsione versus Varronis, quo placidã appellat quietem, ei assentiretur: sed vel id quod dixi, vel aliquid tale (vt opinor) ad eius defensionem afferret.

Iam verò & aliud apud Senecam obseruaui, quod critico minus quàm cuiquam alij conuenire, aç potius ab eo prorsus alienum esse, meritò quis dixerit: eum diuersis locis diuersum eodem de loco iudiciũ ferre. cuius rei (si bene memini) mentio à me facta fuit in libro nuper edito, cui titulus est AD SENECÆ LECTIONEM PROODOPOEIA. Insigne autem exemplũ habemus in illa ab omnibus decantata Hesiodi sententia, qua virtutẽ in arduo sitam esse tradit. hanc enim quũ vno in loco improbet, cõtrà in altero probat. Nã libri De ira secũdi tmemate XIII, postquã, de malò irę loquẽs, dixit non esse quòd patrocinium nobis quęramus, & excusatam licentiam, dicentes aut vtile esse, aut ineuitabile: nec esse quòd dicamus, hoc vel illud vitium excidi non posse: hæc subiungit, *Sanabilibus ægrotamus malis: ipsáque nos in rectum genitos natura, si emendari velimus, iuuat. Nec, vt quibusdam visum est, arduum in virtutes & asperum iter est: plano adeuntur.* Quinetiam ista adiicit, *Non vanæ vobis autor rei venio. facilis est ad beatam vitam via. inite modò bonis auspicijs, ipsísque dijs bene iuuantibus.* Neque enim dubium est quin hîc reprehendatur ista Hesiodi sententia,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

At ecce alium eiusdem Senecæ locũ, vbi contrà huic sententiæ assentitur. Nam capite vigesimo libelli De vita beata, ista legimus, *Interim non est quòd contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena præcordia. Studiorum salutarium, etiam citra effectum, laudanda oratio* vel potius *tractatio est. Quid mirum, si non ascendunt* (nisi potius scribendum

bendum est, *si qui non ascendunt) in altum? Ardui aggressus ad virtutes suspice, etiamsi decidunt magna conantes.* Sed alia etiam lectio affertur, *Arduos aggressus virtutis suspice. etiamsi decidunt, magna conantur.* Sed non minus altera illa mihi probatur, qui illud *aggressus* potissimũ suspectum habeo, & *accessus* in eius locum libenter substituerim. Cæterùm verbis illis ista subiungit, *Generosa res est, respicientem* (pro quo tamen *respicere* legitur in superioris temporis editionibus) *non ad suas sed ad naturæ suæ vires, conari alta, tentare: & mente maiora concipere quàm etiam ingẽti animo adornatis effici possint.* Quæ omnia cum illo veteri dicto conueniunt, *In magnis & voluisse sat est.* Eodémque pertinent ista, in quibus statuitur capitis XXI initium, *Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad deos iter faciet. hoc ille etiamsi nõ tenuerit, magnis tamen excidet ausis.* Quibus verbis prouerbialis quodammodo datus est vsus, ex Ouidiano Phaëthontis epitaphio sumptis. Interim autem eum assentiri (vti dixi) illi Hesiodeæ sententiæ videmus: cui contrà apertè repugnat in isto qui antea fuit allatus loco, *Nec, vt quibusdam visum est, arduum in virtutes & asperum iter est.* Quid? an quod Senecam excuset inueniemus? Ego certè illum more oratorum alicubi facere dico, qui idem modò probant, modò improbãt, vt causæ seruiant. Sed & hoc obseruandum est, in cuius persona Hesiodeum illud dictum reprehendat.

Cæterùm, si vsq; ad nostri seculi criticos deueniendum esset, inter hos & quosdam huius ipsius poetæ reprehẽsores inueniremus, cúmque nominatim qui duos è suis de poetice libris, vnum, Criticum, alterũ, Hypercriticum appellauit. Ac quamuis non ad illos vsque deuenire, sed eos in aliud tempus reseruare sta-

ttierim, ex hoc tamen aliquot exempla talium reprehensionum afferre, & aduersus quasdam poetam hûc libet defendere. Incipiam igitur ab vna quę illi Senecæ vel potius Scauri est similis. nam quemadmodum hunc audisti accusantem Ouidium quòd rem vnam non vno dicere modo contentus esset, in illo Metamorphoseωn loco,

—cinis ipse sepulti
*Ingenus hoc pugnat (*vel *sæuit* potius*) tumulo quoque sensimus hostem:*
AEacidæ fœcunda fui:

sic ille, vbi fatetur Ouidium ita esse mutuatum Hesiodi secula (ita enim vocat descriptiones seculorum) vt eum longè post se reliquerit: & istum huius locum,

—καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον,

his duobus versibus expressisse docet,

Ipsa quoque immunis, rastróque intacta, sine vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus:

addit reprehensionem de mala repetitione. nam hæc adiicit, *Quod male repetit, Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.* Atqui versus illos longiusculo interuallo sequitur hic, *Mox etiam fr.t.i. ferebat,* & quidem interiecta veris mentione: cui quum versum istum subiungit, *Mox etiam fr.&c.* perinde est acsi non æstatis quidem (nam ver fuisse æternũ dixit) sed eius boni quòd postea mortales nonnisi æstatis beneficio consequi cœperunt, mẽtionem subnecteret. Nam versus illos, *Ipsa quoque imm.r.int.sine vllis Sauc.v.p.se d.o.tellus,* sequuntur isti,

Contentique cibis nullo cogente creatis,

Arbu-

Arbuteos fœtus montanáque fraga legebant,
Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et, quæ deciderant patula Iouis arbore, glandes.
Ver erat æternum: placidíque tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.

Atque his versibus proximè adiicitur ille, in quem ab eo inquiritur,

Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Illúmque iste excipit, eodem pertinens, qui alioqui reprehensionem, tanquam male repetitus, non minus mereri dici posset quam alter:

Nec renouatus ager grauidis canebat aristis.

Idem criticus in eodem quinto de arte poetica libro, quem criticum vocat, aliùm huius poetæ locum malæ repetitionis velle videtur accusare. Vbi enim attulit hos illius versus, (qui sunt ex eius Metamorphoseωn libro septimo sumpti, in descriptione pestilentiæ,

Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectatò ceciderunt vulnere tauri?

Vbi (inquam) hos versus attulit, *Et mox,* ait, *more suo iterum,*

-mugitus victima diros
Edidit, & subitò collapsa sine ictibus vllis
Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.

Neque enim dubium est quin verbis illis innuere velit malum illum eadem repetendi morem. Atqui non adiuncti sunt versus hi illis absque vllo interuallo, sed hæc interiecta sunt,

Ipse ego sacra Ioui pro me patriáque tribúsque
Quum facerem natis.

quibus verbis exemplũ eius quod dixit, incipit proponere. cur autẽ in proponendo exemplo non idem aliis verbis dicat? & cur, dum id facit, tanquam mala repetitione vtens, accuſetur?

Sic & alij plerique loci reprehenduntur, tanquam vitioſas repetitiones habeant: quorum defenſionem apud omnem æquum iudicẽ ſuſcipere minimè dubitarim. Et ſunt tamen (fateor) nonnulli etiam loci in quos fortaſſe illa reprehenſio cadere dici poſſit: ſed ita vt non minus quoſdam Virgilianos ei eſſe obnoxios, auſim contendere. Inter quos numerandum eſſe iſtum dixerim, ex Æneidos primo,

Quem ſi fata virum ſeruant, ſi veſcitur aura
Aetheria, nec adhuc crudelibus occubat vmbris.

necnon iſtum è tertio,

Quid puer Aſcanius? ſuperátne, & veſcitur aura?

Quis enim in his aliíſque huiuſmodi locis non ſolùm repetitionem, ſed περισσολογίαν eam quidem, ſeu ταυτολογίαν, eſſe negauerit? Minorem tamen eſſe hîc περισσολογίαν, ſeu ταυτολογίαν, quàm illic, fateor: ac potuiſſet minore iſta contentus & in illo priore loco eſſe, hoc modo,

Quem ſi fata virum ſeruant, ſi veſcitur aura,

non addito ſequente verſu. Alioqui, ſi adiectione illius adiectiui *ætheria* opus illic erat poſt *aura*, certè & hîc opus ea fuiſſe dicemus: nec minus certè & quæ vocem *ætheria* ſequuntur potuiſſe conuenire: ita,

Quid puer Aſcanius? ſuperátne, & veſcitur aura
Aetheria? nec adhuc crudelibus occubat vmbris?

Aliud tamen periſſologiæ genus à Seruio in multis huius poetæ locis conſtituitur: è quorum numero eſt hic libro primo,

vt fa-

-vt faciem mutatus & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat.

Nam híc annotat, *Quod autem addidit,* & ora, *perissologia est.* Cui loco multi similes inueniri possunt: id est, qui talem perissologiam habeant. Sola autem breuitate (vt opinor) ab altera differre dici potest: ideóque breuiorem perissologiam vocauerim. Sed & perissologiæ quæ est in repetitione, mentionem facit idem scholiastes. Nam in hunc locum libri Georgicωn secundi,

Nunc, quo quanque modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
Altera frumentis quoniam fauet, altera Baccho:
Densa magis Cereri, rarissima quæque Lyæo:

annotat, istos versus esse incomparabiles, qui tantam habeant sine aliqua perissologia repetitionem. Nam ex his ostendit existimare se, repetitionem sæpe vitio perissologiæ non carere.

Verùm vt à Virgilio ad Ouidium reuertar, & quidem ab illis Ouidij locis qui ob repetitionem reprehenduntur (quòd videatur perissologica, seu tautologica, si his vti vocabulis licet) ad alia quædam vitia ab eodem critico alibi reprehensa (nisi potius, tanquam vitia, dicere debui) veniam, antequã huic sermoni finem imponam: idem criticus hunc versum, qui est primæ epistolæ secundus,

Nil mihi rescribas, attamen ipse veni,

ex illis esse putat qui vitio non careant. *Quid enim hîc aduersatiua?* inquit. At ego ab interpunctiuncula loco alieno posita (vide lector quàm exigua res in quãtum errorem, etiam magnum vel potius maximum virum impellat) deceptum esse respondeo. nam quæ

est ante vocem *attamen* hypostigme, post ipsam est collocanda: hoc modo,

Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulysse:
Nil mihi rescribas attamen, ipse veni.

Tibi (inquit) scribit tua Penelope: cuius tamen desiderio non satisfeceris si rescripseris (id est, vicissim scripseris) sed petit vt ipsemet venias, & sis rerum tuarum αὐτάγγελος. Vide quanto hoc sit rectius, quàm quod ille, hunc versum reformans, substituit,

-ocyus ipse veni.

Quinetiam totum locum, id est vtrũque versum, ita reformat,

Hanc tua Penelope (an memori?) tibi mittit Ulysse:
Scribendi periit tempus: at ipse veni.

Sed magna illi vocabulo *lento* fieri iniuria videtur, ipsum è sede sua extrudendo: quum soleant mulieres de maritis vel de amatoribus hoc nomine potissimum queri quòd sint ad reditum suum lenti: & ab his nihil magis enixè peti soleat quàm vt illi veniant.

Longè grauior est quæ ab eodem critico proximè additur accusatio. Nam *sólæcon est*, inquit,

Denique quisquis erat castris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.

Et addit, *Quid enim facit illud Quisquis?* Quid? an & in solœcon incidisse sermonem Ouidij credemus? Imò verò ne credibile quidem est. hîc certè nec σόλοικον nec σολοικοφανὲς quidquam legimus, nihil quod in Latina oratione, & quidem soluta etiam, locũ non habeat. Nam quum dicitur,

Denique quisquis erat castris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat,

perin-

perinde est acsi diceretur, Denique quemcunque audiebam iugulatum in Achiuis castris esse, pectus mihi frigidius glacie erat.

Illam censoriam notam proximè sequitur ista, in alium eiusdem epistolæ locum, qui non longo interuallo ab hoc est dissitus. Postquam enim hæc verba attulit,

-victa suis Troica fata canunt,

subiungit, *Non erant victa fata, imò Troianum fatum vicit. vicit enim Troianorum vota: quia in fatis erat Troiam capi.* Hæc ille: aduersus quæ antequam Ouidio patrocinari aggrediar, eundem versum cum quinque præcedentibus proponam:

Sed bene consuluit casto deus æquus amori:
Versa est in cineres sospite Troia viro.
Argolici rediere duces, altaria fumant:
Ponitur ad patrios barbara præda deos:
Grata ferunt nymphæ pro saluis dona maritis
Illi victa suis Troica fata canunt.

Atque his versibus isti duo proximè sunt adiecti,

Mirantur iustique senes trepidæque puellæ:
Narrantis coniux pendet ab ore viri.

Ex his quum totius loci sensus possit lectori patefieri, videndum est an male sit loquutus Ouidius, quum dixit *victa fata*: quæ ab illo censore notantur verba. Ego igitur contrà esse rectè & propriè loquutum hunc poetam dico, quum essent Troianorum & Græcorum inter se fata contraria, poeticè quidem certè loquendo: atque adeo inter se velut pugnarent. Nouum autem non esse vt dicantur aliqua fata esse fatis aliis contraria, ex eo poeta quem tantopere admiratur, tantóque in pretio (& meritò quidé)

ille ipse censor habet, facillimum mihi fuerit ostendere. Nam legimus libro Æneidos septimo, Iunonem de his ipsis Troianis querentem quòd illorum fata suis essent contraria. de hac enim dea ista ibi canit,

Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta,
Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum.

Libro item primo audimus in Veneris querela, de Ænea,

Hoc equidem occasum Troiæ tristésque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.

Quinetiam libro IX audire est Turnum ista magnificè loquentem,

-nil me fatalia terrent,
Siqua Phryges præ se iactant responsa deorum.
Sat fatis Veneríque datum est, tetigere quòd arua
Fertilis Ausoniæ Troes: sunt & mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam excindere gentem,
Coniuge prærepta.

Quòd si quis mihi opponat aduersus ea quæ profero istorum locorum testimonia, non audire hîc nos fata quæ vno eodémque tẽpore inter se contraria essent, sed dici ista de fatorum contrariorum vicissitudine, vt ita loquar: alium proferam cui istud nequaquam poterit opponere, ex libro XII,

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diuersa duorum,
Quem damnet labor, & quò vergat pondere lethum.

Atque huius loci eo esse maior debet autoritas, quòd autorem habet Homerum. apud eum enim legimus Iliad. χ,

Καὶ

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα·
Εν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὴν μὲν, Αχιλλῆος, τὴν δ', Εκτορος ἱπποδάμοιο·
Ελκε δὲ μέσσα λαβών· ῥέπε δ' Εκτορος αἴσιμον ἦμαρ.

Quidni verò à calce poematis Virgiliani ad principium regrediar, & ex libri ſecundi initio eum locum depromam in quo Danai, quorum tandem fata victoriam adepta ſunt, fatis repulſi eſſe dicuntur?

-fracti bello fatiſque repulſi
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Inſtar montis equum diuina Palladis arte
AEdificant, ſectáque intexunt abiete coſtas.

Quòd ſi nihil abſurdi nihil noui noſtris auribus afferunt iſta quæ de fatis à Virgilio dicuntur, ſi apud illum fatorum pugnam admittimus, cur & fatorum victoriam apud Ouidium non admittemus? id eſt, non probabimus quod ab eo dicitur, victa Troianorum fata fuiſſe? Ita enim ille,

Illi victa ſuis Troica fata canunt.

Fuit autem in primis editionibus typographicis alia lectio, ſed iampridem exploſa, *Troica facta*, pro illa, *Troica fata*. Nam vel vnus ille locus quem ex principio libri ſecundi attuli, ſatis confirmare *Troica fata* videtur. Ibi certè *fatiſque repulſi* exponens Seruius, dicit, Oraculis tribus: vita ſcilicet Troili, Palladij conſeruatione, integro ſepulcro Laomedontis, quod in Scæa porta fuit, vt in Bacchidibus lectum eſt. Secundum alios verò pluribus: vt de Æaci gente aliquis intereſſet. (vnde Pyrrhus admodũ puer euocatus ad bellum eſt: vnde dictus eſt Neoptolemus, Νέος εἰς πόλεμον) vt Rhœſi equi tollerentur: vt Herculis intereſſent ſa-

gittæ: quas misit Philoctetes, quum ipse non potuisset afferre, morte præuentus. Hæc Seruius. Sed de tribus illis tantùm inter se omnes ferè cõsentiunt. Quibus tamen nonnulli quartum addũt: quod & à quodam locum illum Ouidij exponente adiectum fuit. Fata victa sunt (inquit) in quibus defensio Troianorũ consistebat: quæ quum diu Græcos fatigassent, & ab illius vrbis expugnatione repellerent, tãdem insidiis Sinonis victa sunt, equò ligneo armatis viris pleno in vrbem introducto. Fata autem hæc Troianorum dicuntur fuisse, vita Troili, cõseruatio Palladij, (id est simulacri Palladis, quod Troiani habebãt in vrbe:) & vt sepulcrum Laomedontis, quod erat in porta Scæa, seruaretur integrũ: & vt equi Rhesi possent à Troianis recipi. Hæc omnia fata vicerunt Græci. nam Achilles Troilum secum congressum interfecit: Palladium verò ab Vlysse & Diomede, clam noctu vrbem ingressis, cæsis arcis custodibus, asportatum est: equi Rhesi ab Vlysse & Diomede abducti sunt: porta verò Scæa diruta fuit ab ipsis Troianis, vt equus introduceretur. & ita fata Troiana victa sunt. Hæc ille: sed de Palladio potissimum dici istud potest, quum ipse Maro *Palladium* appellare *fatale* non dubitet. Canit enim libro secundo,

Omnis spes Danaûm & cœpti fiducia belli
Palladis auxilijs semper stetit: impius ex quo
Tydides sed enim scelerũmque inuentor Vlysses
Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibũsque cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere vittas:
Ex illo fluere & retro sublapsa referri

Spes

Spes Danaûm: fractæ vires, auersa deæ mens.

Vbi de illo vocabulo *fatale* Seruius scribit, esse τῶν μέσων. significare enim & quod custodit & quod interimit: atque pro loco esse intelligendum. At Donatus *fatale* exponit, In quo staret fatum Græcorum: quum potius videatur dicere debuisse, In quo staret fatum Troianorum. Rationi enim consentaneum est vt stetisse dicatur, quamdiu victum non fuit: at quum vinci contigit, cecidisse. Sed nec Seruio assentiri possum, volenti fatorum appellatione oracula significari, in altero illo eiusdem libri loco, *-fracti bello, fatisque repulsi Ductores Danaûm.* Ex ipsis enim oraculis discebantur quidem fata: sed non ideo fata de oraculis dixisse Virgilium, illi concesserim. Neque tamen negauerim interim, ne hunc quidem appellationis fatorum vsum videri satis aptum quo dicuntur tres illæ res, Troianorum fata fuisse, vita Troili, conseruatio Palladij, &c. Hoc certè minimè dubium est, quin, si *fatale* esse τῶν μέσων concedatur, idem & de voce *fatum* sit concedendum.

Venio ad alius accusationis defensionem. Quum non multis interiectis versibus sequantur hi apud Ouidium,

Omnia nanque tuo senior te quærere misso
Rettulerat nato Nestor, at ille mihi,

ita ille criticus de his versibus, *Neque hîc vlla causa reddenda est. itaque illud* nanque *dispungendum. non enim relatio Telemachi efficiebat vt Græci prælia pingerent vxoribus.* At ego respondeo, particulam *nanque* aptissimum contrà hîc locum habere: sed eam per quendam ἰδιωτισμὸν ita poni, vt à lectore referenda sit ad ea quæ subaudienda relinquūtur: quum ea eiusmodi



ſint vt plerunque cogitentur tantùm, non etiam dicantur. Ita igitur Penelope, *Omnia nanque ſen.* &c. perinde acſi diceret, Mirum tibi videbitur hæc omnia mihi atque aliis eſſe nota: ſed mirari nõ debes. *Omnia nanque tuo ſen.* &c.

Idem venit ſtatim pòſt ad hunc locum,

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſiecta lacertis
Ilios, & murus quod fuit ante ſolum?

& durum eſſe hoc ait, *murus, quod fuit ante ſolum. Murus* enim (inquit) nunquam *fuit ſolum.* Et addit, *Itaque melius in Faſtis,*

Hic vbi nunc vrbs eſt, tunc locus vrbis erat.

At ego miror, tantillam rem tantum virum in errorem iterum impuliſſe. nam rurſus ei impoſuit interpunctiúcula. Aliquam enim editionem ſequutus eſt in qua hæc ante *quod* collocata erat, quá ſit ante *ſolum* collocanda: hoc modo,

—& , murus quod fuit antè, ſolum.

Ita enim interpungendo non erit accuſandus Ouidius, tanquam murus ab eo dicatur fuiſſe aliquando ſolum: ſed contrà fatendum, eum nouo & eleganti pariter loquendi genere expreſſiſſe quod in ſoluta diceretur oratione (dici autem poſſet & in carmine) Murus ſolo æquatus. Neque verò hìc altera illa phraſi vti poterat, qua vſus eſt in Faſtis, quum dixit, *Hìc vbi nunc vrbs eſt, tunc locus vrbis erat.* & qua item alibi, vbi legimus, *Ventris erat pro ventre locus.* Cur verò aliam quàm qua vſus eſt in illo de quo nunc agitur verſu quæſiuiſſet?

Proximè ſequitur hic verſus ex Briſeidis epiſtola,

Auxerunt blanda grandia dona prece,

vbi admonet, *Vide an melius* (ſed *annon melius,* ſcripſiſſe illum

illum puto) *blandæ preces*. Quòd si varias editiones inter se contulisset, hanc alteram lectionem in quibusdam inuenisset. Verùm cur hæc alteri sit præferenda non video: præsertim quum *prece* ἱνικῶς magis sit poeticum.

Ab illo versu transit ad hunc eiusdem epistolæ,

Iuro: fallentem deseruisse velis:

& insuauem ac languidam esse hanc orationem queritur: ac se malle ita,

Iuro: si fallam, desere: pœna decet. aut *pœna placet.*

Ego totum Ouidij locum lectori proferam, vt de eo iudicium ferat.

Me quædam (memini) dominam captiua vocabat:
Seruitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen ossa viri subito malè tecta sepulcro,
Semper iudicijs ossa verenda meis:
Pérque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria cum patriáque iacent:
Pérque tuum nostrûmque caput, quod iunximus vnà,
Pérque tuos enses, cognita tela meis,
Nulla Mycenæum sociasse cubilia mecum
Iuro: fallentem deseruisse velis.

Ego certè non insuauem quidem sed quodammodo languidam esse orationem fateor: quam tamen Ouidius si mutare voluisset, aliter quàm illum facturum id fuisse arbitror.

Hunc item versum,

Est mihi qui fosso pectore sanguis eat,

non video cur parum probet, & istum aptiorem fore putet,

Vt tibi dilecto pectore sanguis eat.

Totus locus est hic,

At si versus amor tuus est in tædia nostri,
Quam sine te cogis viuere, coge mori.
Utque facis, coges. abijt corpúsque colórque:
Sustinet hoc animæ spes tamen vna tui.
Qua si destituar, repetam fratrésque virúmque.
Nec tibi magnificum fœmina iussa mori.
Cur autem iubeas? stricto pete corpora ferro:
Est mihi qui fosso pectore sanguis eat.

Hic certè vltimus versus multo magis mihi placet, quàm si in illum mutatur, *Ut tibi dilecto pectore sanguis eat*; præsertim quum istud *dilecto* repugnet quodammodo iis quæ dixit, *At si versus amor tuus est in tædia nostri.* Adde quòd, ita loqui, esset simul petentis vt vulnus lethale sibi infligatur, simul ab eo infligendo deterrentis: perinde acsi diceret, Fodi gladio meum pectus: si tamen in pectus adeo dilectum committere id potes. Præterea post illa verba, *pete corpora ferro*, videri posset otiosa hæc adiectio, *vt sanguis eat è pectore*. At hęc verba, *Est mihi qui fosso pectore sanguis eat*, aliquid in recessu habent: perinde acsi diceretur, Non frustra me ferro petes, sed tuo illi tædio hac ratione remedium inuenies. nam è nostro etiam pectore sanguis manabit, sicut ex hostium quos petiisti pectoribus manantem sæpe vidisti. Siquidem *Est mihi* dictum puto ἀντὶ τοῦ Est etiam mihi. Eandémque ellipsin apud hunc poetam cùm alibi obseruasse mihi videor, tum verò in isto versu epistolæ Phædræ ad Hippolytum, de Amore, *Regnat, & in dominos ius habet ille deos.* Neque enim dubito quin dicturus fuerit, *In dominos etiam ius habet ille deos*: nisi verbi *regnat* vsum hîc sibi magis necessarium putasset, quòd metaphoram valde significantem habeat. Denique non aliter dictum est il-

lud ab Ouidiana Briseide,

Est mihi qui fosso pectore sanguis eat,

quàm istud à Virgiliano Turno,

-& nostro sequitur de vulnere sanguis.

non quòd eodem sensu dicatur (nam hîc *nostro de vulnere* actiua significatione intelligitur, de vulnere quod nos inferimus) sed quoniá vtrobique dicitur quod satis supérque scitur, etiamsi taceatur. Videndum autem annon talia ad ἰδιωτισμὸν referri debeant. Scio alioqui Tiberium Donatum secus locum istum exponere: vt perinde sit acsi diceret, *Nouimus sic hostem petere vt ictum nostrum plaga sequatur & sanguis.* Et addit, illũ hoc dicto velle adstruere quòd toties feriat quoties miserit ferrum: nec aliquando frustretur, sed semper quẽ prosternat inueniat. Verùm pro me & præcedentia faciunt, meo quidem iudicio. totus enim locus est hic,

Et nos tela pater ferrúmque haud debile dextra

Spargimus: & nostro sequitur de vulnere sanguis.

Transit ille criticus ad Phædræ epistolam, quam Hippolyto scripsit: & in ea carpit hunc versum,

Et pariter nostrum fiet vterque nocens.

In hoc enim versu Ouidium pessimè consuluisse persuasioni ait: quinetiam ista addit, Omnino eum sustulerim, atque hunc aut huic similem substituerim,

Quæ mihi amor certus, quæ tibi fata parant.

Ego ex totius loci lectione iudicium lectori tam de Ouidij versu, quàm de hoc qui substituitur, relinquã: atque istud tantùm addã, videri quidẽ primo aspectu verba illius Ouidiani versus parum esse ad persuadẽdũ apta (quod puto criticũ illum significare voluisse,

quum dixit, pessimè illum persuasioni consuluisse) sed consentanea tamen præcedentibus ac sequentibus in eo dici: nec posse hũc versum reprehendi, quin & alij quidam in reprehensionem cadant.

Censuram subnectit in duos versus, non aliam ob causam, quàm quòd sint ex iis qui vulgo leonini appellantur. In OEnones epistola (inquit) versus leoninus,

Vim licet appelles, & culpam nomine veles.

Sicut & in Hermiones,

Vir, precor, vxori, frater succurre sorori.

Et addit, se ideo malle priorem illum ita scribere,

Vim licet hanc dicas, & culpam nomine veles.

Atqui Ouidium talem ἐκ τῶν ὁμοιοτελεύτων soni eiusdem repetitionem animaduertisse, ac, si eã vitare necesse putauisset, id facillimè facturum fuisse existimo. Ego certè, cui tã pauper est facultatis poeticæ penu, quàm illi diues erat, tamen ex paupere meo istos decem ex tempore depromo versus, qui eundem cum illo Ouidium sensum, sed non idem incommodum (absit enim vt vitium appellẽ) habent. Videat lector, is quidem certè qui cũ illo critico sentiet, an aliquis inter hos inuenietur quem nõ minus dignum qui substituatur iudicet, eo qui ab illo critico substituitur.

Primus igitur erit iste,

Vim licet appelles, & nomine culpa tegatur.

sicut legimus epistola IIII, *Cognato poterit nomine culpa tegi.*

Secundum hic locum tenebit,

Vim licet appelles, abscondens nomine culpam.

Tertium iste,

Vim licet id dicas, culpam hoc sub nomine celans.

Quartum

Quartum hic,

qui Virgilianum loquendi genus habet,

Vim licet, hoc culpam prætexens nomine, dicas.

Quinta sedes huic dabitur,

in quo cōtrà retinetur Ouidiani versus vocabulum,

Vim licet appelles, hoc velans nomine culpam.

Sexta isti, qui idem seruat,

Vim licet, vt culpa hoc veletur nomine, dicas.

Septimus ordine hic erit,

in quo item videri poterit seruata vox Ouidiana, quũ *velamen*, quod ex ea deductum est, habeat,

Vim licet (id culpæ est velamen) dicere malis.

Octauo hic loco erit,

Vim licet, vt culpa hoc lateat sub nomine, dicas.

Nonam hic sedem habebit,

Vim licet (id latebras est culpæ quærere) dicas.

Decimam denique iste,

in quo mihi aliquid amplius quàm in præcedentibus permitto,

Vim licet appellans, hoc nomine crimen obumbres.

Vndecima sedes huic dabitur, qui paulo est liberior,

Vim licet appelles: quod culpam est nolle fateri.

Duodecimum denique locum hic sibi vindicabit, qui & ipse aliquid libertatis sibi sumit,

Dissimulans quamuis culpam, vim dicere malis.

Quòd si duodecim hi in poetico meo agello, vel potius agellulo, penè sterili, nasci tã breui tẽpore potuerunt, quot in illius viri tam fertili agro nasci potuisse credemus? tam fertili (inquam) vt fertiliorem nunquam fuisse, ac ne esse quidem posse existimem.

Ad alterum autem leoninum versum quod atti-

net, hunc videlicet, (qui est ex epistola Hermiones ad Orestem)

Vir, precor, vxori, frater succurre sorori:

eum idem ille criticus haud facile esse dicit mutare: quòd oporteat tota illa stare, *fratris, mariti auxilium, sorori, vxori.* Addit tamen statim, *In præsentia illud excogitaui,*

Fratrem orat soror vt pugnet pro coniuge coniux.

Sed non video quomodo versui Ouidiano respondere hic dici possit: qui vt intelligatur, totum locum proponam,

Sic quoque eram repetenda tamen. nec turpe marito est,
Aspera pro charo bella tulisse toro.
Quid quòd auus nobis idem Pelopeius Atreus?
Et, si non esses vir mihi, frater eras?
Vir, precor, vxori, frater succurre sorori.
Instant officio nomina bina tuo.

Cernere (inquam) non possum quî sexto illi versui, *Vir, precor, vxori, fr.* &c. respondere iste dici possit, *Fratrem orat soror vt pugnet pro coniuge coniunx.* Neque enim vllus magis obuius est (meo quidem iudicio) huius versus sensus, quàm iste, Soror fratrem orat vt suam ille coniugem non deserat, sed pro ea pugnet: & ita non eadem dicetur soror & coniux, nec pro se, sed pro alia, quæ ei est glos, fratrem orabit.

Mutans igitur Ouidianum versum & aliter, *Illud simplicius*, inquit,

Vxorem tibi vir, frater defende sororem.

Vbi non placet *tibi*, & *tu* aptius futurum fuisse existimo. Addens & tertium, *Illud coactius*, ait,

Ecce soror fratrem expecto, coniúxque maritum.

Sed hoc *expecto* non satis conuenientem habet hîc locum,

locum, mea quidem ſententia. Adiicit & quartum: & *Illud rectius*, inquit,

Fratris opem ſoror imploro, coniúxque mariti.

Quinetiam addit, ſe multa aliter poſſe quæ non vult: ac ne hæc quidem poſiturum ſe fuiſſe, niſi neceſſe fuiſſet oſtendere quantum vir ille ſibi pepercerit, quũ meliora multo poſſet. Ego, quamuis non tantopere mihi verſus ille Ouidianus diſpliceat, tamen quod in præcedente feci, idem hîc quoque faciam: vt hunc quoque quàm facile Ouidio fuerit mutare (licet criticus ille non facilè mutari poſſe dicat) ex eo quod ipſe hac in re præſtabo, lector coniiciat. Dico igitur in hanc mutari formam potuiſſe,

Vxori tu vir, frater ſuccurre ſorori.

Necnon in iſtam,

Vxori vir ades, tu frater adeſto ſorori.

Aut in hanc, quæ parum à præcedente habet diſcriminis,

Vxori tu vir, tu frater adeſto ſorori.

Sed quoniam hi quoque verſus ὁμοιοτέλευτα habent; quæ licet magis tolerabilia ſint, aliquem tamen moroſum iudicem poſſunt offendere: en tibi eundem verſum in alias inſuper formas mutatum: quarum prima erit hæc,

Vir, quæſo, nuptam, fratérque tuere ſororem.

Niſi quis ita malit,

Vir precor vt nuptam, frater tutere ſororem.

Neſcio an magis placitura ſit iſta, quæ epanalepſin habet,

Tu nuptæ vir opem, fer opem fratérque ſorori.

Aut iſta,

Qui vir es & frater, nuptæ adſis atque ſorori.

En tibi & aliam, quæ (ni fallor) nulli aliarum cedit,

Et peto fratris opem soror, & peto nupta, mariti.

Nisi fortè hæc tibi gratior futura est,

Inuoco fratris opem soror, inuoco nupta, mariti.

Aut certè ista,

Nupta eadémque soror fratrem inuocat atque maritum.

Sed nec ista (vt opinor) displicebit,

Te fratrem soror imploro, te nupta maritum.

Ac fortasse ne ista quidem reiicula videbitur,

Sum fratri atque viro supplex ego, nupta sorórque.

Possem verò & aliter mutare: sed quum in alterius mutatione duodenarium numerum prætergressus non sim, hîc quoque eum non excedam. Simul verò huic de quorundã Ouidij versuũ reformatione sermoni finem imponam: in quem vides vt inciderim, quum alioqui de nouis criticis hîc agere non statuerim: inter quos iste non tantùm primum locum tenet, sed eum ferè quem inter discipulos præceptor tenere solet. Quanto autem maior est hic vir qui critici partes suscepit, tanto magis perspicere possumus quàm periculosum sit hoc munus. Quis enim ita hoc fungi se posse speret vt nõ labatur, quum ne ille quidem plerosque locos ἀπτώτως pertransire potuerit?

SED quum de nouis criticis nunc agere non statuerim, vti modò dixi, (licet in vnius eorum mẽtionem incidens sermo, haud statim à me reuocari potuerit) ad eam dissertatiunculam cuius expectationẽ sibi à me motam esse lector fortasse dixerit, conuertenda fuerit oratio. Duo enim in præcedentibus (ea videlicet pag. quæ 249 est) à me proposita fuerunt, de quibus supererat vt dicerem. vnum, haud solos grammaticos censuram criticam in aliquorum scri-

pta

pta exercuisse: alterum, tales censores, tum grammaticos, tum aliòs, in alia etiam quàm poetica scripta inquisiuisse: & prius quidem illud à me tractatum est, at hoc posterius tractandum est. Vt igitur ab Asinio Pollione initium sumam, qui non inter grammaticos sed oratores numeratur, eum videmus de nonnullis etiam historicis quædam κριτικῶς pronuntiasse. Is enim est qui in Tito Liuio miræ alioqui facundiæ viro inesse quandam Patauinitatem existimauit: is est qui librum edidit in quo (Suetonio teste) Salustij scripta reprehendit, vt nimia priscorum verborum affectatione óblita. Quid quòd criticum eius (vt ita loquar) iudiciũ inuenit & quod in ipso Cicerone carperet? Atq; adeo de vtroque Asinio Pollione (id est, tam filio quàm patre) hoc testatur Fabius. *Quanquam* (inquit) *neq; ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto Caluóque, qui certè compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt: nec Asinio vtrique, qui vitia orationis eius etiam inimicè pluribus in locis insequuntur.* Quod tamen addit, *inimicè*, iudicium eorum reddere nobis suspectum potest: præsertim verò filij iudiciũ ex eo nobis in suspicionẽ meritò venerit, quòd tantus admirator eloquentiæ paternæ fuerit, vt librum composuerit in quo à Ciceroniana eloquentia multa peccari, atque adeo patrem suum Cicerone eloquentiorem ostendere conatus sit. Sed Claudius imperator tantum honoris manibus Ciceronis detulit, vt eius defensionem aduersus illum susceperit. *Composuit item* (inquit Suetonius) *Ciceronis defensionem aduersus Asinij Galli libros satis eruditam.*

Præsertim autem apud Senecam in Controuersiis multa de multis oratoribus κριτικῶς dicta legimus.

quale est illud de Montano Votieno, eum, dum non est contentus vnam rem semel bene dicere, efficere ne bene dixerit: & ideo solitum à Scauro inter oratores Ouidium vocari. Quem locum à me allatum habes suprà, pag. 259, in mentione Ouidij. Sed ibi exemplum huius vitij (vt quidem ab illis iudicatur) ex Ouidio tantùm attuli: nūc igitur & ex Montano duo afferam, quæ à Seneca proponuntur. Prius est istud, Ex vncia hæres erat patris sui Galla, obijciebatur illi veneficium: dixit rem disertissimam & omnibus seculis duraturam, qua nescio an quidquam melius in eo genere causarum dictū, *Unciam nec filiæ deberi, nec veneficæ.* Non fuit contentus: adiecit, *In paternis tabulis filiæ locus aut suus debetur, aut nullus.* Etiamnum adiecit, *Relinquis nocenti nimium, innocenti parum.* Ne sic quidem satiare se potuit: adiecit, *Non potest filia tam angustè paternis tabulis adhærere, quas aut totas possidere debet, aut totas perdere.* & plura multa, quæ memoria non repeto. Et paucis interiectis, hæc tanquam criticus seu censor pronuntiat, Nihil non ex iis bellum esse, si solum sit, nihil non rursus ex eis alteri obstare. At ego nec tot modis illud ab eo dici debuisse censeo, nec reprehendendum tamen fuisse si duobus tantùm dixisset modis: & ex reliquis illum potissimum delegisset qui breuissimus est, *Relinquis nocenti nimium, innocenti parum.* Nam cohærere ita dictum istud cum præcedente potest, vt sit rationem reddentis: ita, V*ncia nec veneficæ debetur, nec filiæ. hoc enim fuerit, relinquere nocenti nimium, innocenti parum.* Alium quoque locum affert, in quo illum de re eadem reprehendit, *Erras pater, & vehementer erras: quos perdidisti non quæris, quem quæris non perdidisti.* Deinde, *Puer iste inuentus*

tus perit. Deinde, *Quisquis puero fauet, ne inueniatur optet.* Deinde, *Puer nisi auum sequitur, fratres sequuturus est. Desine quærere, quem si inueneris, sic perdes vt inuenire non possis.* Et deinde, *Rapuit istum auus, ne raperet nouerca.* Et deinde, *Unum tantùm pater ex liberis suis quærit qui saluus est.*

Libri primi Controuersia VI, reprehẽditur Triarius, quòd, dum sententiam puerilem captat, ineptum quiddam dixerit. Locum illum proferã, postquam ipsius Controuersiæ thema, ex quo is intelligatur, attulero. Id igitur est huiusmodi, Captus à piratis scripsit patri redemptionem: non redimebatur: archipiratæ filia iurare eum coegit vt duceret se vxorem, si dimissus esset. Iurauit, relicto patre sequuta est adolescentem: rediit ad patrem: duxit illam. Orba incidit: pater imperat vt archipiratæ filiam dimittat, & orbam ducat: nolentem abdicat. Venio nunc ad illam censuram: *Triarius* (inquit) *dum sententiam puerilem captat, ineptè dixit iurasse & se per orbam. Aiebat enim Cæstius valde hanc fieri orbam, etiamsi iurasset. Latro aiebat quoque iusiurandum ineptum esse. nihil enim minus conuenire quàm aliquem per patrem iurare, patrem relicturæ.* Qui locus non videtur satis integer. Dixerat autem paulo antè, *Buteo longè accersito colore vsus est. Voluit eam nubere non inuito patre, sed secretò suadente, palam dissimulante.* De hoc autem Buteone queritur & alibi, nimirum Controuersia quarta libri septimi, *Apollonius Græcus & Buteo* (inquit) *fatuam quæstionem mouerunt: primam, An lex quæ de alendis parentibus lata est, ad patris tantùm nomen pertineat.* Musam etiã quendã carpit Cõtrouersia quinta lib. VII, postquã dictũ quoddã Bassi Sepullij retulit. Ex illis (inquit) qui res ineptas dixerũt

primus ibi ante omnes Musa ridetur, qui quum vulnus nouercæ descripsisset, adiecit, *At Hercules, pater meus tanquam paries perfossus est.* Alias multas censorias reprehensiones habes per totum illud Controuersiarum opus sparsas, necnon earum declamationũ quæ Suasoriæ vocantur: (quarum neutræ eidem Senecæ, sed eius patri adscribendæ existimantur) ad eas ego te remitto. De hoc autem moneo, sæpe, quod ineptè dictum est, aut saltem non satis conuenienter rationi, vocari ab eo corruptum. Ita Suasoria prima, Sic Cæstius descripsit, *Fremit Oceanus, quasi indignetur quòd terras relinquas. Corruptissimam rem omnium quæ vnquam dictæ sunt, ex quo homines diserti insanire cœperunt, putabant.*

Criticas seu censòrias quorũdam locorum reprehẽsiones apud Quintilianum quoque habemus, qui etiam librum de causis corruptæ eloquentiæ se scripsisse testatur, non procul ab initio libri sexti. Sed & in fine octaui, *Eundem*, inquit, *locum plenius in eo libro quo causas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractauimus.*

Siue autẽ hic ipse de quo sermo est Quintilianus, siue Tacitus (quod minus credibile est) librum eum scripsit cui nunc à quibusdam datus ille titulus fuit, De causis corruptæ eloquentiæ (quum antea De oratoribus, aut De claris oratoribus, inscriberetur) certè & in eo critica pleraque leguntur: sed ita vt criticè de docendi genere quod sequuti sunt quidam oratores iudicetur, non autem aliqui eorum loci criticæ censuræ seu critico examini subiiciantur. Quinetiam ad antiquos oratores quod attinet, aliquid est quod nõ tãtùm de illorum quodã aut quibusdã censoriè pronuntiatur, sed de tota eorũ cohorte. Nam ibi scriptũ est, *Hæc ideo prædixi, vt siqua ex horum oratorum fama gloriáq; laus*

laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio ſitam, & propiorem nobis quàm Ser. Galbæ, Cato Carboni, quóſque alios antiquos meritò vocaremus. Sunt enim horridi & impoliti & rudes & informes: & quos vtinam imitatus nō eſſet Caluus veſter, aut Cælius, aut ipſe Cicero. Sic & alibi de antiquis oratoribus pronuntiat, vbi *triſtem & impexam antiquitatem* dicit: item vbi ſordes verborum & hiantem compoſitionem atque inconditos ſenſus redolere antiquitatem dicit. quibus adiicit, *Nec quēquam adeo antiquarium puto vt Cœlium ex ea parte laudet qua antiquus eſt.* Dum autē hìc *ſordes verborum* lego, recordor eius quod à Dionyſio Halicarnaſſeo, maximo & celeberrimo apud Græcos in hoc præſertim genere critico, de priſcis oratoribus Græcis dicitur (ſed in laudem, non in vituperiū) χνοῦς ἀρχαιότητος: adeo vt hic criticus de ſuis oratoribus Græcis antiquis longè melius quàm ille (ſi & ipſe inter criticos eſt numerādus) de ſuis Latinis ſentiat. Illis enim & alia obiicit. ſiquidem de Cicerone loquens, Nam priores eius orationes (inquit) non carent vitiis antiquitatis. lentus eſt in principiis, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus. tardè cōmouetur, raro incaleſcit: pauci ſenſus opt. & cū quodam lumine terminantur. Nihil excerpere, nihil referre poſſis: & velut in rudi ædificio, firmus ſanè paries & duraturus, ſed non ſatis expolitus & ſplendens.

Apud Aulum Gellium quoque videmus quorūdam veterum oratorum locos criticè aut tanquam criticè reprehendi: ſed ad C. Gracchi locum quod attinet, quamuis eum T. Caſtricius reprehēderit, quem ipſe Gellius graui atque firmo iudicio virum fuiſſe teſtatur, hac tamen reprehenſione iniuriam illi fieri,

& librarij infidelitatem potius accusandam esse, attigi in meis Noctibus Parisiensibus in Atticas Auli Gellij Noctes: sed alibi idem plenius & apertius ostendi.

Sed vt ab antiquis oratoribus ad eorum posteros veniam, multa & in iis carpi videmus, in tota etiam eorum cohorte, (vt paulo antè de veteribus sum loquutus) aut ferè tota: & quidem ab illo etiam ipso siue Tacito, siue potius Quintiliano. Nam in illo cuius mentionem feci dialogo, *Neque enim* (inquit) *oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita vtuntur, vt lasciuia verborum & leuitate sententiarum, & licentia compositionis, histrionales modos exprimant: quódque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriæ et ingenij loco plerique iactant, cantari saltaríque commentarios suos.* Quinetiam quum monet de iis quæ orationes scribentibus vitanda sunt, non dubium est quin ad quorundam vitia respiciat. *Quædam verò* (inquit) *procul arceantur, vt iam obliterata et olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum.* Et paucis interiectis, *Fugiat fœdam & insulsam scurrilitatem.* Quinetiã crebrum vsum illorum verborum, ESSE VIDEATVR, qui hîc carpitur, scimus carpi ab eodem Quintiliano (si quidem huius dialogi esse autor censendus est) sicut & in Institutionum oratoriarũ opere: vbi etiam additur quod hic tacetur, eos qui verbis illis vtebantur, Ciceronianum dicendi genus exprimere sibi videri. Eius verba sunt, libro decimo, *Noueram quosdam qui se pulchrè expreßisse genus illud cælestis huius in dicendo viri* (de Cicerone loquitur) *sibi viderentur, si in clausula posuißent,* ESSE VIDEATVR. Ac de vitiis quibus orationes multorum laborabant, dum pro virtutibus eorum

rum quos imitandos sibi proposuerant, vitia consectarentur, ibidem agit. scribit enim, *Hoc autem iis accidit qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se velut aspectum orationis aptarunt: & quum iis felicissimè cessit imitatio, qui* (sed in *quia* muto) *verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inuentionis non assequuntur: sed plerunque declinant in peius, et proxima virtutibus vitia comprehendunt.* Quinetiam de illorum vitiis nominatim mentionem facit, quum addit, *fiúntque pro grandibus tumidi* (quale vitium est poetæ qui *professus grandia turget*, apud Horatium) *pressis exiles, fortibus temerarij, lætis corrupti, compositis* (sed *incompositis* scribo) *exultantes, simplicibus negligentes.* Atque ibidem alia quædam huc pertinentia istis adiiciuntur. Et alibi Asianum dicendi genus & Atticum, tanquam vnius harum virtutum vniúsque horum vitiorum exempla affert. Nam libro duodecimo legimus, antiquam illam diuisionem inter Asianos atque Atticos fuisse, quum hi, pressi & integri, contrà inflati illi & inanes haberentur: & in his nihil superflueret, illis iudicium maximè ac modus deesset. Et quibusdam interiectis, addit sibi videri & dicentium & audientium naturas orationis differentiam fecisse: quòd Attici, limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferrent, Asiana gens, tumidior alioqui & iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata esset. Et interiecta Rhodiorum oratorum, tãquam tertij generis, mentione, rursum vt Atticis eandem illam virtutem, sic Asianis idem vitium tribuit. *Neque enim Atticè pressi* (inquit) *neque Asianè sunt abundantes.* Legimus verò & alibi eandem Asianorum oratorum apud eum reprehensioné, necnon aliorum qui alio modo peccabãt.

Corruptæ porro eloquentiæ culpá in iudices ipſos & auditores ex parte videmus conferri ab illius dialogi autore. Præcurrit (inquit) hoc tempore iudex dicentem: & niſi aut curſu argumentorum, aut colore ſententiarum, aut nitore & cultu deſcriptionum inuitatus & corruptus eſt, auerſatur dicentem. Vulgus quoque aſſiſtentium, & affluens & vagus auditor aſſueuit iam exigere lætitiam & pulchritudinem orationis. &c.

Verùm vt ad illum De oratoribus ſeu De claris oratoribus dialogum redeam (quem & De cauſis corruptæ eloquentiæ inſcribi à nonnullis dixi, eúmque eſſe exiſtimari cuius Quintilianus tanquam ſui meminerit) & de criticis aduerſus quoſdam peculiariter latis in eo ſententiis agere incipiá, audire te primùm iubebo quàm aſperè quædam Ciceronem ipſum tractarint. *Satis conſtat* (inquit) *nec Ciceroni quidem obtrectatores defuiſſe: quibus inflatus & tumens, nec ſatis preſſus, ſupra modum exſultans & ſuperfluens & parum antiquus videretur.* Vbi mirari quis poſſit iſtud *parum antiquus*, poſtquam tam multa quæ in antiquitate vituperat conſiderauerit. Cæterùm & Ciceronis ipſius viciſſim cẽſorias quorundam reprehenſiones, nominatímque Calui & Bruti, & quæ pariter hi in illo cenſoriè aut tanquam cenſoriè reprehenderint, ibidem legimus. Hæc enim ſequuntur, *Legiſti vtique & Calui & Bruti ad Ciceronem miſſas epiſtolas: ex quibus facile eſt deprehendere, Caluum quidem Ciceroni viſum exſanguem & attritum: Brutum autẽ, otioſum atq; diſiunctum. Rurſúmque Ciceronẽ à Caluo quidẽ malè audiuiſſe, tanquam ſolutum & eneruẽ: à Bruto autẽ (vt ipſius verbis vtar) tanquam fractum atq; elumbẽ.* Inter quæ aliquid ſuſpectum mihi eſt, eo in loco, *Brutum autem,*

otioſum

otiosum atq; disiunctum. nã pro hoc *disiunctum* magis mihi placeret *discinctum.* Ad vocem autem *otiosum* quod attinet, eandem apud eundem (si Quintilianũ esse dialogi illius autorem extra cõtrouersiam est) habemus, nõ procul ab iis quæ inde modò attuli. *Tristes* (inquit) *ac ieiuni Pollionem æmulantur:* (id est, se Pollionem æmulari credunt. aut dicunt) *otiosi & supini, siquid modò longius circumduxerunt, iurant Ciceronẽ ita loquuturum fuisse.* Quinetiam in alio eiusdem dialogi loco, vbi de Cicerone agitur, *Nã priores eius orationes non carent vitijs antiquitatis. lẽtus est in principijs, lõgus in narrationibus, otiosus circa excessus.*

Vt autem quædam quorundam oratorum reprehẽsiones eodẽ modo in illo dialogo quo & in opere Institutionum oratoriarum scribuntur, ita & quædã laudationes. Nã illic legimus, *At strictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cælius, grauior Brutus:* eodémque modo híc (id est, in Institutionibus oratoriis) *grauitatem* Bruti legimus. Ibidẽ verò maturitas Afro tribuitur, quæ illic L. Crasso. Quinetiã ipsius M. Tullij Ciceronis ibidem (in eodem illo inquam Oratoriarum institutionum loco) & laudationem & criticam reprehẽsionem inueniemus. Postquã enim aliorum aliquot oratorum mentionem fecit, & suam cuique in vna re laudẽ concessit, *At Marcum Tullium,* inquit, *non illum habemus Euphranorem, circa plurium artiũ species præstantem, sed in omnibus quæ in quoque laudantur, eminentissimum.* Sed his proximè ista subiungit, *Quẽ tamen & suorum homines temporum incessere audebant, vt tumidiorẽ & Asianum & redundantẽ, & in repetitionibus nimiũ, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac penè (quod procul absit) viro molliorem.*

Quàm autem diuersa sint quorundã hominũ siue

criticorum ſiue aliorum iudicia de iis etiã quę alioqui calculis omniũ probari exiſtimantur, ex his Fabij verbis apparet, necnon ex iis quæ de aliis eiuſdẽ oratoris, Ciceronis inquã, reprehẽſoribus, ſumpta ex illo dialogo retuli. Quid quòd inuẽti ſunt iudices corã quibus de principatu eloquentiæ cum Cicerone litigare Caluus auderet? Legimus enim apud Senecã, Senecæ patrẽ, *Caluus, qui diu cum Cicerone iniquiſſimã litem de principatu eloquentiæ habuit.* Hic autem eſt ille Caluus cuius non ſolùm Fabius, ſed & autor illius De oratoribus dialogi (ſi fortè alius eſt quàm Fabius) & quidam alij meminerunt: quorum eſt & Cicero in Bruto, ſeu in dialogo De claris oratoribus.

Verùm ecce, ad mentionem Ciceroniani cuiuſdam libri me deduxit orationis meæ ſeries, quem nondum inter criticos, aut ſaltem critica multa habentes, à me eſſe commemoratum, mirabuntur fortaſſe nonnulli. Sed quum tam multa liber ille critica habeat, vt merito dubitaturus ſit quilibet quídnam potiſſimum ex eo debeat excerpere ad hoc argumẽtũ pertinens, ſermonẽ hunc mẽtione illius claudere, ſatis eſſe putaui: ita quidẽ vt ad illũ lectores remitterẽ. Quidni verò & ad eũ librũ qui Orator inſcriptus eſt, & ad eum qui De optimo genere oratorũ, necnõ ad tres De oratore libros, quos ad Q. fratrẽ ſcripſit, eadẽ opera illos remittã? Id certè & facere debeo, & facio.

Criticorum ſiue hominum, ſiue librorum appellationem erunt interim (ſat ſcio) qui me vltra ſuos fines extendere querantur. Illi, quicunque erunt, hoc à me reſpõſum ferent, adeo nõ ignorare me quod veterũ criticorum, quibus hoc datum nomen fuit, officium fuerit, vt etiam alios hoc ipſo libro docuerim: & fateri quidem non itidem profeſſione criticos fuiſſe illos,

nec plenè criticorum partes impleuiſſe: ſed velle hoc mihi viciſſim cõcedi, quatenus ab illis ad criticos pertinens argumentum in libris eiuſmodi tractatur, & illis & eorũ libris nomen hoc poſſe tribui. A Seneca certè in Cõtrouerſiis melius quàm ab aliis critici officio ſatisfieri videmus: quũ non tantùm ſententia in oratores aut declamatores nonnullos feratur, ſed in quoſdã etiam locos eorũ inquiratur, ne indicta cauſa damnati exiſtimentur. Cuius rei exẽpla fuerunt à me in ſuperioribus allata: quibus adiici & iſtud poteſt, ex Controuerſia quarta libri ſeptimi, de Caluo, Hic tamen (inquit) in epilogo quem pro Meſſio tunc tertiò cauſam dicente habuit, non tantùm leuiter cõponit, ſed quũ dicit, (*redite mihi, non eſt turpe miſereri*, & omnia in illo epilogo fere, non tantùm emollitę cõpoſitionis ſunt, ſed infractę. Dixerat alioqui de illo, in iis quę proximè præcedunt, cõpoſitionem eius in actionib. ad exemplum Demoſthenis rigere, nihil in illa placidum, nihil leue eſſe: omnia excitata & fluctuantia. Cui criticæ ſententiæ (in qua & quod dicitur de Demoſthene eſt obſeruandum) illa critica reprehenſio ſubiungitur, Hic tamen in epilogo quem pro Meſſ. &c. At ſi illam critici appellationem tam latè quàm dixi extendamus, hoc nomen Fabius cum alibi tum vel maximè libro decimo (in quo tam Græcis quàm Latinis ſcriptoribus ſuum locum & tanquã gradum aſſignat) mereri dicetur: atque adeo liber ipſe, in prima quidẽ ſui parte, eodẽ fortaſſe titulo inſigniri poterit.

NEQVE verò hîc de Dionyſio Halicarnaſſeo tacendũ eſt, & quibuſdã aliis Græcis, qui itidem criticã in ſcriptores Græcos, & quidem ſolutæ orationis, nõ carminis, cenſurã ſibi permiſerũt. Atqui de illis prius

quàm de Latinis dicendū erat, obiiciet quispiā. Præcedere illos debuisse fateor, sicut quū de criticis poetarū agerem (quos & prius & magis propriè ita dictos fuisse existimo) ab Aristarcho & aliis qui criticen in poetas Græcos exercuerunt, initium sumpsi: sed licentiæ Homericæ auxilium, qua ille ὕστερον quod est πρότερον ponit, implorabo.

Ex illis igitur criticis ad nos duo peruenerūt, Dionysius Halicarnasseus (ille ipse qui & Romanā historiā scripsit) & Dionysius Lōginus. Sed hic multo illo fuit posterior, illo inquam Dionysio Halicarnasseo, quo vix quēquam magis exactè accuratéque functū critici officio crediderim. De hoc saltē mihi assensuros omnes puto, qui audacius quosuis scriptores reprehēderit, fuisse neminem. Præsertim verò aduersus Thucydidē insigne huius audaciæ exēplū habemus. De qua quum dicturus sim in iis quæ (Deo fauente) in nouā Thucydidis præfabor editionem, quinetiam, si tantū cōcedatur otij, huius aduersus illū apologiam sim scripturus) eius hîc mentionē fecisse satis habebo.

SCIO superesse quædā ad hāc de criticis dissertationē pertinētia, si eam plenè tractare vellē. Nā & de amicis criticis, quibus scripta recitabātur, disserendū præterea esset, & ad Græcos criticos, à quibus sumptū erat initiū, reuerti oporteret, & quædā eorū (præsertímq; Aristarchi) siue τολμήματα siue παρατολμήματα essent non solùm cōmemoranda, sed etiā examinanda, quorum in mea ad lectorē epistola memini: sed hanc vel παραπλήρωσιν vel προσθήκην aut alij delegabo, aut mihi in aliud tempus (quo & de nouis criticis disserere vacabit) reseruabo.

HENR.

HENR. STEPHANVS LECTORI.

QVONIAM multa ex doctissimis Seruij in Virgilium commentariis hoc in libro afferuntur, & facta est à me in quodã eius loco mentio restitutionis magnæ & accessionis quæ illis ex quodam perueteri libro contigit, atque huius exempla in meis Schediasmatum libris allaturum me promisi: nequis interim nimio ea videndi desiderio angatur, potius repræsentanda hîc existimaui: simul tamen monendum te, ne ideo quæ hactenus sub huius enarratoris edita nomine fuerunt, asperneris: quum ea quoque magna ex parte ibi legantur.

DE HOC moneo primùm, quosdam Virgilij locos insertos commentariis, aliter ibi scriptos esse: atq; huius diuersæ scripturæ exemplum memorabile proponam, istum ex Ecloga VI versum,

Ah virgo infelix herbis pasceris amaris:

quum lectio ab omnibus, & omnium (etiam librorũ, vt opinor) consensu recepta, sit hæc,

Ah virgo infelix tu nunc in montibus erras.

Atque huic versui subiunguntur ista, *Quidam virgo, non quòd virum illo tempore non haberet, sed quia talis ei pœna iam virgini destinata sit, intelligunt: ob iram scilicet Veneris, quæ irata Soli, quòd se, vt quidam volunt, Anchisæ, aut (vt alij) Marti coniunctam prodidisset, sobolem eius inhonestis amoribus subiecit: vt Circen, Medeam, Pasiphaen. Et hoc dicit, in illa com miserabili dementia feliciores fuisse quæ se animalia credebant, quàm Pasiphaen, quæ quum sciret se hominem, taurum sectabatur.* Et in illa verba, *quæ te dementia cepit*, quæ efficiunt

posterius hemistichium versus qui paulo ante præcedit, & illud ipsum principium habet, *Ah virgo infelix*: in hæc inquam verba in veteri illo codice annotantur ista, *Hic obiurgare magis quàm consolari videtur. an quia consolantis & hoc officium est, vt mærentem strictim obiurget?*

In illum autem versum,

Prœtides implerunt falsis mugitibus agros,

vltra hæc, *Prœtides, Prœti & Sthenobœæ, siue Antiopæ, secundum Homerum, filiæ fuerunt* (quæ in typographicis editionibus leguntur) addita sunt earum hæc nomina, *Lysippe, Hipponoe, Cyrianassa.* Et post hęc verba, *Hæ se Iunoni in pulchritudine quum prætulissent*, habet idem liber ista, *vel, vt quidam volunt, quum essent antistites, ausæ sunt vesti eius aurum detractum in vsum suũ conuertere.* quas voces hæ in typogr. editionibus sequuntur, *illa irata hunc errorem earum immisit mentibus, vt se vaccas putarent, adeo vt plerunque mugirent.* quas itidem in libro scripto, paucis mutatis, habes, *illa irata hunc furorem earum immisit mentibus vt se vaccas putantes in saltus abirent, & plerunque mugirent.* Sed statim post, pro his, *Has Melampus postea purgasse perhibetur*, hæc in vet. scripta sunt, *Quas Melampus Amythaonis filius pacta mercede vt Cyrianassam vxorem cum parte regni acciperet, placata Iunone, infecto* (si ita legendum est) *fonte vbi solitæ erant bibere, purgauit & in pristinũ sensum reduxit.*

In multis verò locis quædam adiecta sunt iis quæ editiones typogr. habent, & quidem alicubi post vltimum verbum quo ibi sermo clauditur. Vt in versum hunc,

Pasiphaen niuei solatur amore iuuenci,

ita in typogr. libris, *Cretẽsium reginam, Minois vxorẽ: quæ tauri amore flagrauit:* at in vet. ista insuper habemus, *&*

enixa

enixa Minotaurum crimen dementiæ suæ publicauit. Ac certè passim lector inueniet locos in quibus fabulæ multo latius commemorantur. Sic in versum istum,

His adiungit, Hylam nautæ quo fonte relictum Clamassent. quum ista tantùm legátur vulgò, *Puerum comitem Herculis, quem perdidit in finibus Ioniis, iuxta Mysiam: nec vsquam potuit reperire*: in eo libro hæc extant, *Hylas puer, Thiodamantis filius, ob speciem Herculi fuit charissimus: quem sequutus nauigantem cum Argonautis, in finibus Ionij iuxta Mysiam apud fontem Calci amnis, quum aquatum isset, à nympha raptus est: nec vsquam pot. rep.* vel, *nec vnquam.*

Expositioni item horum verborum (quæ proximè præcedunt versum modò allatum) *-furtúmque Promethei*, adiunguntur ibi pluscula, quæ & ipsa, μυθικὰ sunt. Nam post has voces (quibus expositio illa clauditur) *Hinc est quòd igne rapto ab iratis numinibus morbi hominibus dicuntur immissi*, in vet. cod. legimus, *Ergo secundũ fabulam ὑστερολογία est. nam prius fuit vt Prometheus crimen admitteret, post pateretur supplicia: qui tamen postea præcepto Iouis occisa per Herculem aquila liberatus est. Alij hunc ferula ignem de cælo subripuisse feruat, & ideo à Ioue relig.* &c.

Antequam verò discedam ab hac de Prometheo fabula, de hoc etiam monebo: quum in nostris typogr. exemplaribus legamus, Prometheum, post factos à se homines auxilio Mineruæ cælum ascendisse, & adhibita facula ad rotam solis, ignem furatum esse: & ob hanc causam iratos deos duo mala terris immisisse, febres & morbos: in illo vet. libro, non *febres & morbos*, sed *mulieres & morbos* legimus. Nec multo post, non *eius cor exederet*, sed *eius iecur exederet*, in eodem scriptum est. Aliquanto post idem vet. cod. habet, *Deprehendit præterea rationem fulminum eliciendorum.*

In versum autem qui isto in quo mentio fit Promethei, prior est, hunc videlicet,

Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna,

postquam dixit Seruius, *Quæstio est hoc loco* (fortasse autẽ *de hoc loco* scribendum est) *nam relictis prudentibus rebus de mundi origine, subitò ad fabulas transitum fecit. Sed dicimus aut expr.* &c. vsque ad huius finem sermonis: in illo vet. exempl. adiicitur tota fabula de diluuio, vel potius narratio (nam Christiani fabulosum non esse diluuiũ sciunt, etiamsi multa fabulosa illi adfingantur) præfixis hisce verbis, *Sanè fabula talis est.* Quibus additur, *Iupiter quum perosum haberet, propter feritatem gigantum, genus humanum, scilicet quòd ex illorum sanguine editi erant mortales, diluuio inundauit terras, omnésque homines necauit, exceptis Pyrrha & Deuc.* &c.

In hunc etiam eclogæ V locum,

Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnim Flebant,

quum ista tantùm annotata habeamus, *Multi dicunt, simpliciter hoc loco defleri Daphnim quendam pastorem:* in veteri libro hæc subiunguntur, *quem mater sua compressa à Mercurio & enixa abiecit. Hũc pastores inuenerunt inter lauros, & Daphnim vocauerunt. quem Pan musicen docuisse dicitur.* &c.

Affertur in illo exemplari & quædã fabula de Calamo in hunc eiusdem eclogæ versum,

Nec calamis solùm æquiparas sed voce magistrum.

Illius fabulæ principium est istud, *Veteres Zephyro vẽto vnam ex Horis coniugẽ assignant: ex qua & Zephyro Carpon filium pulcherrimi corporis editum dicunt: quem quum Calamus Meandri fluuij filius amaret.* &c.

In hunc item locum, *Alter erit tum Tiphys*, longa affertur fabula. Sanè fabula de hoc gubernatore (inquit)

quit) talis est, Pelias quum accepisset responsum ab Apolline, fore vt ab eo priuaretur regno & vita qui altero pede nudo ei sacrificanti occurrisset, fortè vidit Iasonem nudo pede venisse. &c.

Quinetiam nonnulla ibi, non itẽ in nostris libris, leguntur: quæ licet non proponantur tãquam inter fabulas poeticas numeranda, tamen fabulosa videri possunt, vel quòd hyperbolica sint, vel aliam ob causam. Inter hyperbolica quidem certè ponendũ quispiam dixerit quod ibi de Alcone legitur, in ista verba, *Aut Alconis habes laudes.* quum enim typogr. editiones hæc tantùm nobis exhibeant, *Hic Cretensis sagittarius fuit*: in vet. cod. ista insuper legimus, *comes Herculis, ita peritus vt ictus eius non falleretur. nanque positos supra capita hominum annulos traiiciebat, capillos spiculis sagittarum rumpebat: sagittas sine ferro, positis ex aduerso gladiorum lancearúmve mucronibus, findebat.*

Illa autem quæ de vincto Sileno à Virgilio referuntur, ex Theopompo esse sumpta, ibidem legimus: his verbis, Sanè hoc de Sileno non dicitur fictum à Virgilio, sed à Theopompo translatum. Is enim apprehensum Silenum à Midæ regis pastoribus dicit crapula madentem, & ex ea soporatum: illos dolo aggressos dormientem vinxisse: postea vinculis sponte labentibus liberatũ, de rebus naturalibus & antiquis Midæ interroganti respondisse. &c. Iterúmque in ista verba, *Huic aliud mercedis erit*, postquã annotauit, *Nymphæ minatur stuprum latenter: quod verecundè dixit Virgilius*, addit, (si quidem illi vetusto exemplari fidem habemus) *Hæc autem omnia de Sileno à Theopompo in eo libro qui θαυμάσια appellatur conscripta sunt.*

Nec verò paucis in locis secunda aut etiam ter-

tia expositio adiicitur, quam in nostris exempl. non habemus. vt in illa ipsa verba *Saturnia regna*, quæ versum paulo antè allatum finiunt, videmus ibi & ista annotari, *Alij Saturnia regna pro regnis Iouis accipiunt: quo regnante diluuium factum volunt, sub Deucalione & Pyrrha: non aureo seculo, quo Saturnus regnauit.*

Sic in ista quæ eclogam quartam claudunt,

Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est,

addit, alios ita intelligere, quasi tam citò extinctus sit vt nec Veneri nec Libero potuerit operari. Atque hîc quoque fabula quædam de Vulcano affertur (ante illa videlicet verba) Alios dicere quòd quum Vulcanus parentes suos diu quæreret, nec inueniret, sedile fecerit tale, vt in eo qui sedisset surgere nō posset. &c.

Ac quum nostri libri in hunc versum, *Tum durare solum & discludere Nerea ponto*, nobis hæc tantummodo legenda exhibeant, Canebat etiã quemadmodũ terra rerum sumpserit formam: in illo exemplari hæc omnia ad huius versus expositionẽ pertinentia scripta sunt, Canebat etiam quemadmodum se durare cœperit solum, & mixtam sibi antè aquam sua constrictione discludere. Sanè *solum* si nominatiuus est, *durare* absolutè accipiemus, & ad omnia quæ infrà dicuntur, ad *solum* & rerum terrestrium * referentur: si accusatiuus, ad *mundi orbem* cuncta pertinebunt. *& rerum paulatim sumere formas*. Canebat etiam quemadmodum terra rerum sumpserit formam.

De Virgilij etiam poematibus, id est, quæ ille susceperat, multa dicuntur in expositione horum verborum, *Quum canerem reges & prælia*, & istorum, *deductum dicere carmen*, quæ à typogr. editionibus absunt. Alij (inquit) Scyllam eum scribere cœpisse dicunt: in quo libro Nisi & Minois regis Cretẽsium bellum de-

ſcribebat: alij de bellis ciuilibus dicunt: alij de tragœdia Thyeſtis. Et, nonnullis interiectis, poſtquàm *deductum carmen* expoſuit bucolicum: addit, Sanè *quum canerem reges & prælia*, & *deductum dicere carmen*, quidam volunt hoc ſignificaſſe Virg. ſe quidē altiorē de bellis & regibus ante bucolicū carmen elegiſſe materiam: ſed cōſiderata ætatis & ingenij qualitate, mutaſſe cōſiliū, & arripuiſſe opus mollius: quatenus vires ſuas leuioribus præludendo ad altiora narrāda præpararet. In hūc etiā verſum, *Téq; adeo decus hoc æui te cōſule inibit*, annotat, *Et ideo Inibit, non iniit, quia conſul deſignatus erat*. Quibus addit, *Quidā Saloninum Pollionis filium accipiunt: alij Aſinium Gallum, fratrem Salonij, qui prius natus eſt, Pollione cōſule deſignato. Aſconius Pedianus à Gallo audiſſe ſe refert, hanc eclogam in honorem eius factam.*

Multa etiā quibus allegoriæ quædā exponūtur, aut (ſi mauis) quibus quædā ad allegoricū ſenſum in illo vet. referūtur, à noſtris typogr. editionibus abſunt, aut ſecus in iis legūtur. Cuius rei exēplū inueniemus in loco ei qui proximè allatus fuit vicino. Nā ibi ſcriptū eſt, Quidā hoc loco, *Caſta faue Lucina, tuus iā regnat Apollo*, Octauiā ſororē Auguſti ſignificari adfirmāt, ipſúmq; Auguſtū, Apollinē. Sic in iſtū verſū, *Extinctū nymphæ crudeli funere Daphnim Flebāt*, quū legamus in vulgaribus libris, multos dicere, ſimpliciter hoc loco defleri Daphnim quendā paſtorē: alios autē dicere, ſignificari per allegoriā C. Iuliū Cæſarē, qui in ſenatu à Caſſio & Bruto vigintiquatuor vulneribus interēptus eſt: vnde & *crudeli vulnere* illos velle dictū eſſe: in vet. cod. hæc inſuper ſcripta ſunt, Sed ſi de Caio Cæſare dictū eſt, multi per *matrem*, Venerē accipiunt: per *leones & tigres*, populos quos ſubegit: per *thiaſos*, ſacra quę pōtifex inſtituit: per *formoſum pecus*, pop. Romanū.

In iſtum quoque locum,

Candidus inſuetum miratur limen olympi,

Sub pedibúſque videt nubes & ſidera Daphnis,

annotatur in illo vet. libro, *Miratur quaſi nouus deus. Et quibuſdam videtur per allegoriam Cæſarem dicere, qui primus diuinos honores meruit, & diuus appellatus eſt.* Vt autem à Iulio Cæſare ad Auguſtum veniam, ibidem hunc in verſum, *Miſtáque ridenti colocaſia fundet acantho*, iſta legimus, *Hanc herbam videtur in honorem Auguſti creuiſſe, quæ Romæ poſt deuictam ab eo AEgyptum innotuit. Et dicendo Fundet, abundantiam floris oſtendit.* Vbi deeſſe puto verbum *ſignificare*, aut *dicere*, poſt vel ante *videtur.*

Alia multa ſunt quæ nobis ille vetus liber (cũ quo alium magna ex parte conſentientem habeo) vltra ea quæ in typographicis editionibus leguntur, affert. Nam & ad ritus priſcos pertinentia quædam, & ad Latinæ linguæ proprietatem ſpectantia non pauca, hiſtorica etiam nonnulla (nam de fabuloſis iam dixi) illis typographorum libris adiicit: ſed vniuſcuiuſque horum ſpecimen mea Schediaſmata tibi exhibere poterunt.

Defezeri
Critica
a S[illegible]



colorchecker CLASSIC

calibrite